



CAVANILLI
MONADE

P

A
47
39



A-III-11.



16
7-0

BIBLIOTECA HOSPITAL REA
GRANADA

Sala: _____
Estante: A
Número: 39


7 400 410

Galfa

MADE IN SPAIN

0
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25

et-III-11.




16
7-10

BIBLIOTECA HOSPITAL REAL GRANADA	
Sala:	A
Estante:	47
Número:	39

Don Antonio

DISSERTATION
M.DCCCXXXIX



QUARTA

DISSERTATIO

BOTANICA.

M0581.9


AR: 8 T-5

(1)

QUARTA
DISSERTATIO
BOTANICA,
DE GERANIO,

128 Species complectens , 49 tabulis incisas.

AUCTORE ANTONIO JOSEPHO CAVANILLES HISPANO-VALENTINO,
Collegiatæ Ecclesiæ de Ampudia Abbate, in Academia Valentina Doctore
Theologo , e Societate Regia vulgo *Bascongada* , atque Societatis
Regiæ Parisiensis Agriculturæ Correspondente.



17
2616 —

PARISIIS,
APUD FRANCISCUM AMB. DIDOT.
M. DCC. LXXXVII.
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ.

QUARTA
D I S S E R T A T I O
B O T A N I C A,
D E G E R A N I O,

res species complectens, & tabulis illustr.

LECTORI ANTONIO JOSEPHO CAVALLIERI HISPAHO-VALLINTINO,
Collegio Regio de Ampudia Abbate, in Academia Valentinia Doctore
Theologo, & Societate Regia vulgo Baronesis, atque Societatis
Regia Parisiensis Agriculturae Correspondente.



PARISIIS
APUD ERASMIUM AMB. DIDOT.
M. DC. CXXXVII
CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REIPUBLICAE PARISIENSIS ACADEMIAE

EXTRAIT des registres de l'Académie royale des Sciences, du 6
Juin 1787.

Nous avons examiné, par ordre de l'Académie, une quatrième dissertation latine et botanique de M. l'Abbé CAVANILLES sur le genre du *Geranium*, faisant suite aux trois dissertations précédentes sur les plantes malvacées, dont il est voisin dans l'ordre naturel.

Le *Geranium* est un des genres les plus nombreux du règne végétal. Tournefort en connoissoit environ soixante especes assez distinctes. M. Burman fils en décrit soixante et quatorze dans une dissertation particulière sur ce genre, publiée en 1759. On en compte soixante-six dans l'édition de Linné, donnée en 1780 par M. Reichard, et quatre-vingt-deux dans l'édition de 1784 de M. Murray. La dissertation de M. CAVANILLES, beaucoup plus étendue, porte le nombre des especes à cent vingt-huit, dont il a observé soixante-trois vivantes; les autres ont été tirées de divers herbiers: quelques unes ne lui sont connues que par la description des auteurs. Il a décrit toutes ces especes avec soin, en ajoutant à chacune sa synonymie, et il en a dessiné la plupart dans quarante-neuf planches jointes à la dissertation, et supérieures pour l'exécution à celles de ses ouvrages précédents. Ce travail est précédé d'une introduction, dans laquelle il expose le motif et le plan de l'ouvrage, et les principaux caracteres du *Geranium*.

Ces caracteres sont un calice à cinq feuilles ou monophylle à cinq divisions; une corolle régulière ou irrégulière, à cinq pétales attachés sous le pistil; dix étamines insérées au même point, dont les filets réunis par le bas, sont ou tous fertiles, ou entremêlés de filets stériles; un pistil supérieur, tantôt entouré de cinq glandes, tantôt d'une cavité latérale prolongée dans le pédoncule; un style pyramidal, terminé par cinq stigmates; un fruit composé de cinq capsules obtuses ou aiguës par le bas, uniloculaires, surmontées chacune d'une arête lisse ou velue, appliquée contre le style, dont elle se détache ensuite de bas en haut en emportant la capsule qui lui reste adhérente. Chaque capsule contient une ou deux semences, dont l'embryon occupant tout l'intérieur, a la radicule droite et les lobes repliés à leur base. La tige est herbacée ou ligneuse; les feuilles, toujours stipulées, sont opposées ou alternes; les pédoncules chargés d'une, de deux, ou de plusieurs fleurs ombellées, sont toujours solitaires, opposés aux feuilles alternes, axillaires aux feuilles opposées.

Ce genre exige, à cause de son étendue, une méthode particulière dans la distribution des especes. M. Burman, dans sa dissertation, les avoit classées d'après les pédoncules uniflores, ou biflores, ou multiflores, et d'après les calices d'une ou de plusieurs pieces. Linné avoit distingué les especes africaines

par un calice tubulé monophylle, des pétales irréguliers, des étamines en partie stériles, une arête plumeuse et des pédoncules multiflores; il caractérisoit les especes qu'il nommoit cicutaires par les mêmes pédoncules, par un calice à cinq feuilles, une corolle presque réguliere, un pistil entouré de cinq glandes, cinq étamines stériles, et une arête garnie de poils; il appelloit colombines celles qui avoient les pédoncules terminés par une ou deux fleurs, le calice à cinq feuilles, la corolle réguliere, les cinq corps glanduleux, toutes les étamines fertiles, l'arête non velue. Ces caracteres ainsi présentés n'ont pas paru assez tranchés à M. CAVANILLES. En employant les mêmes en partie, il les dispose sous un autre ordre, et y ajoute d'autres considérations.

Il sépare d'abord les corolles régulières des irrégulières. Dans la premiere division, qui comprend cinquante-sept especes, il observe toujours les cinq corps glanduleux, un calice à cinq feuilles ou divisé profondément en cinq parties; il y retrouve aussi d'autres caracteres déterminés les uns par les autres. Ainsi les pétales entiers, avec cinq étamines stériles, annoncent des capsules aiguës, dont l'arête est tordue dans sa longueur; les pétales échancrés se trouvent avec des capsules ovales, dont l'arête est simplement réfléchie en spirale. Les pédoncules multiflores annoncent des étamines en partie stériles; elles sont ordinairement toutes fertiles sur les pédoncules qui n'ont qu'une ou deux fleurs. L'auteur subdivise cette premiere partie en trois sections principales, caractérisées par les pédoncules uniflores et multiflores, en quoi il se rapproche de M. Burman. Dans la section assez nombreuse des biflores, il sépare les pétales entiers des pétales échancrés. Dans les multiflores, il distingue les feuilles simples des feuilles pinnées.

La division des corolles irrégulières, riche de soixante et onze especes, offre, suivant l'auteur, un calice toujours monophylle, un pédoncule tubulé et ouvert dans la fleur, quelques étamines stériles, une capsule toujours aiguë, une arête barbue et toujours tordue dans sa longueur. M. CAVANILLES, mettant ici de côté la considération des pédoncules, établit deux sections des feuilles maculées et non maculées, et il subdivise celles-ci en feuilles entieres, feuilles lobées ou ternées, et feuilles pinnées.

Les deux principales divisions de ce genre adoptées dans cet ouvrage sont si naturelles, que quelques auteurs avoient hésité s'ils n'en feroient pas deux genres. La premiere contient en général les especes européennes, et a communément les feuilles opposées; la seconde réunit la plupart des especes africaines, dont les feuilles sont le plus souvent alternes. Celles-ci avoient été désignées par Burman le pere, dans ses *Plantæ africanae*, sous le nom générique distinct de *Pelargonium*. Son exemple n'a point été suivi. M. CAVANILLES, en admettant les deux divisions du genre, a, comme ses prédécesseurs, conservé le même nom générique à toutes les especes dont il présente le tableau général à la tête de l'ouvrage. Il a fixé dans ses descriptions et dans ses desins tous les caracteres de leur fructification; ce qui rend ses gravures très in-

téressantes pour l'étude. Son travail est le plus complet qui ait été fait sur le *Geranium* ; et en le parcourant, on souhaitera que d'autres familles ou d'autres genres soient traités avec la même étendue. Nous pensons en conséquence que cette dissertation mérite, comme les précédentes, d'être approuvée par l'Académie, et imprimée sous son privilège.

FAIT au Louvre le six juin 1787. Signés, FOUGEROUX DE BONDAROU,
le Chev. DE LAMARCK, A. L. DE JUSSIEU.

Je certifie le présent extrait conforme à son original et au jugement de l'Académie. A Paris ce 27 juin 1787.

Signé, le Marquis DE CONDORCET.

... de la ...
... de la ...
... de la ...

Fait au Louvre le sixième jour de Mars, l'année de Bonaparte,
Le Citoyen de Larocq, A. L. de France.

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

... de la ...
... de la ...

QUARTA

DISSERTATIO BOTANICA.

DE GERANIO.

P R Æ F A T I O.

BOTANICIS inventis quædam addere, facillimum procul dubio est; attamen materiam denuo pertractare, in qua elucidanda primi homines insudarunt, idque recentissime, arduum certe reputo, ne dicam periculosum. Ego vero quoniam de universa Monadelphia atque Malvacearum familia dicere promisi, Geraniorum genus difficillimum atque maximum elucidandum aggrediar, sapientium indulgentia fisus, qui præcedentia opuscula benigne recepere.

Itaque quamquam plures hucusque de Geraniis scripserint, quatuor præsertim inter omnes video, qui, aut dedita opera, aut per occasionem, bonum otium in ipsa collocarunt, Carolum Linnæum scilicet, Nicolaum Burmanum, Joannem Jacobum Reichardum, atque Joannem Andream Murrayum. Plukenetius enim, Dillenius, Joannes Burmanus, Jacquinus, aliique bene multi, sparsa membra hujus corporis, ut ita dicam, tabulas accuratas, atque descriptiones haud spernendas certe prodiderunt: quæ omnia si auctorem juvant, qui de hoc genere tractare decrevit, impediunt sæpissime partium omissione, atque notarum, quæ in magna specierum copia scientificè ordinanda veluti leges sunt a natura præscriptæ. Illorum vero opera, si Nicolaum Burmanum excipias, cujus specimen botanicum magni facio, ceterisque præfero, difficultatibus scatent, utpote qui brevitati dumtaxat consulentes, obscuro fiunt, dum innumeras species explicare confidunt binis verbis. Ad hæc Murrayus et Reichardus tam arte Linnæi doctrinam amplexati sunt, ut cum mendis, oscitationibus atque erroribus eam nobis porrigant; quod si in illius reverentiam faciunt, quam parum scientiæ proficiant, vel ipsimet ingenue fatebuntur.

Ego vero quamquam viribus impar tot hominum numero, quamquam laboriosum atque injucundum opus inspexi, toto tamen animo in id unum incubui, ut locupletius atque perfectius darem. Hac ergo de causa ex 128 speciebus, quas hoc opus continet, quamplurimas colui, sexaginta quatuor vivas examinavi, reliquas fere omnes in amicorum herbariis: atque ut de recentissimis capensibus certo pronunciarem, Cl. Carolum Petrum Thumbergium rogavi, ut quas ipse reperiisset, vellet mihi communicare, quod et humanissime fecit, et occasionem mihi præbuit, tum Linnæi filii errorem detegendi in quem incidit de Geranio emarginato tractans, tum reliquas species, quarum purum indigitavit indicem, numeris omnibus absolutas, nunc primo Botanicis offerendi. Thumbergio itaque, Jussieuo, Lamarck, atque Thouinio tribuen-

dum est si quid boni in hoc opere reperiatur, utpote qui plantas mihi examinandas præbuerunt: ego interea et gratias ago maximas, et eorum nomina in perpetuum grati animi testimonium prædico.

Multum ulterius difficultatis passuros esse credens nedum tyrones sed et Botanicae professores, si in tanta specierum copia, descriptionibus contentus, tabulis privarem, quinquaginta delineavi, in quibus fere omnes species qua potui diligentia ad vivum depinxi. Et quamquam probe sciam, non æque facile accurateque delineari posse species siccas, male quandoque conservatas, ac eas quæ vivæ observari possunt; nihilominus monographiam universam dare malui, quam quorundam rumoribus commotus, lectores privare earum figuris, quas desiccatas præ oculis habeo. Hoc unum interea intellectum volo, de vivis scilicet respondendum mihi esse, utpote qui et auctor sum, et delineator; de siccis vero, si meas tabulas a vivis aliquando recessisse constet, condonandum spero. His itaque præmissis, propositum aggrediar.

Gerania vel obiter examinanti occurrent primo flores figura diversi, fructus similes: in quibusdam corollas observabit irregulares et veluti papilionaceas, in aliis regulares, rosaceas; omnes vero patentes ac striis sapissime variegatas. Qui vero accuratius species omnes persequatur, natura veluti distributas cerneret in duas phalanges fere æquales, quarum si patriam investigare velit, Africanas aut Europeas esse sciet. Veruntamen munificentissimam naturam fuisse in Bonæ Spei promontorio mirabitur, quum Geraniorum maximam copiam illuc cognoscat crescere, dum totus terrarum orbis ne vel illius terræ angulum æquare potuerit copia atque harum stirpium pulchritudine.

Si vero utriusque phalangis attentius flores examinet, in irregularibus nunquam reperiet stamina decem antherifera, neque in regularibus septem: in his etenim aut quinque aut decem, in illis vero quinque aut septem numerabit, quæ basi in urceolum coalescunt germen cingentem, qui semper in decem filamenta aut denticulos partitur. Glandulas quoque quinque, unguibus petalorum alternantes, observabit in regularibus; in reliquis vero glandularum loco cuniculum aut tubum reperiet, cujus initium exstat inter duo petala superiora et calycis laciniam latiore, qui plus minusve per pedunculum excurrit, notante finem gibba externa.

Mihi animo volventi atque admiranti Africanorum (sic enim usus invaluit, qui Gerania nominat Africana, quorum corolla irregularis est) structuram ac præcipue cuniculum, divinare cupiebam hujus præcipuum munus. At, ut verum fatear, nihil certi reperi, et conjiciendo dumtaxat, a natura factum arbitror ut flores aliquo modo nutent. Quum enim pedunculi pars quædam longitudinaliter excavata sit, atque propterea levior sibi oppositâ, ex gravitatis legibus gravior hæc deorsum tendet, atque tubus aut cuniculus, qui levior est, superiorem et horizontalem situm servabit necessario. Hujusmodi vero situs valde congruit germinis fecundationi: antheræ etenim in Africanis facile ac citissime decidunt: stamina etiam, quæ prope cuniculi faucem reperiuntur, breviora sunt ceteris dum antheras sustinent. Quare si flores essent erecti, quod fortasse eveniret, si pedunculus ubique ejusdem esset ponderis atque crassitie, nec pollen stigmata reciperent, neque antheræ possent tandiu in lectulo con-

servari quandiu satis esset ut intentus a natura finis consequeretur; verumtamen hæc omnia haud satis firma reputo, atque quæstionem integram Botanicis relinquo.

Incertis itaque prætermisissis, ad certa redeamus. Corolla in omnibus speciebus, tribus exceptis, ex quinque petalis componitur, quæ unguibus angustata, urceoli basi adhærent; non tamen ita firmiter ut in malvaceis vidimus. Etenim singula seorsim decidunt remanente urceolo, qui tardius evanescit; quum fructus scilicet ad debitam maturitatem pervenerit. Hic vero semper componitur ex quinque capsulis monospermis, rarissime dispermis, stigmatum numero respondentibus, quæ capsulæ terminantur arista in funem tortili barbata, aut in spiram versus apicem receptaculi longi filiformis contorta, tuncque imberbi.

Semina in hoc genere sunt ovato-oblonga, sæpius acuminata. Operæ pretium est cotyledones aut lobos seminis examinare, quod quantum prosit Botanica scientificè tractandæ, dixit magnus Bernardus de Jussieu, dicerque luculentius ejusdem nepos, mihiq;e carus Antonius Laurentius de Jussieu in opere vere aureo quod juris publici brevi faciet. Itaque Geraniorum semen est corpus teres, oblongum, utrimque acuminatum, quod ultra gravitatis centrum inflectitur, parsque brevior ita alteri incumbit et adhæret, ut primo intuitu totum semen corpus referat altera parte obtusius: commissum vero terræ, ex breviori lobo exurgit caulis, radices ex alio: quæ omnia cognoscet, qui fructum velit examinare. Ego enim in seminibus novæ speciei, Geranii scilicet Tetragoni, prope apicem lobi brevioris duas quasi minimas stipulas conspexi lente vitrea, quæ foliorum seminalium rudimenta sunt, e quorum centro erigebatur plumulla subulata, in caulem abitura suo tempore. Hæc itaque præmittenda duxi haud injucunda Botanicis sperans; reliqua vero quæ in plantis examinandis observavi in compendium redigam, ne præfatio longius excurrat, neve lectorum patientia abuti videatur.

OBSERVATIONES.

Pro floribus regularibus.

- 1 Calyx aut pentaphyllus est aut profundissime partitus in quinque lacinias, quarum duæ sunt semper exteriores, una partim exterior, partimque priorum altera cooperta, duæ reliquæ interiores.
- 2 Calyx fere semper ornatur striis decem longitudinalibus, inter foliola ita distributis, ut quodvis exterius tribus gaudeat, in singulis interioribus unica reperiatur, quintum denique foliolium duas strias obtineat.
- 3 Stamina decem antherifera? Ergo 1°. pedunculus uniflorus, aut biflorus, 2°. Capsulæ ovatæ basi obtusæ, 3°. Arista imberbis in spiram versus styli apicem revoluta.
- 4 Pedunculi multiflori? Ergo 1°. petala integra, 2°. Filamenta alternatim breviora castrata et antheræ quinque, 3°. Capsulæ basi acutissimæ 4°. Arista barbata in funem tortilis, minime vero in spiram versus apicem revoluta.
- 5 Petala emarginata? Ergo capsulæ ovatæ, arista imberbis in spiram revoluta.

- 6 Capsula ovata? Ergo arista imberbis in spiram revoluta.
 7 Capsula basi acuta? Ergo arista barbata in funem tortilis.
 8 Petala semper quinque, quorum ungues cum totidem glandulis mellifluis alternant.

Pro floribus irregularibus.

- 9 Calyx fere semper monophyllus, quinquepartitus, lacinia superiore latiore erecta: reliquis fere semper reflexis.
 10 Corolla subnutans papilionacea, fere semper pentapetala; petalis duobus superioribus erecto-reflexis, fere semper latioribus, longioribus variegatis.
 11 Glandulae nullae, in quorum loco cuniculus per pedunculum excurrens.
 12 Urceolus decempartitus: antherae numquam plus quam septem quae cito decidunt: stamina aut dentes steriles numquam circa cuniculum, sed in ea parte reperiuntur quae illi diametraliter opponitur.
 13 Capsulae, semper basi acutae: arista barbata, tortilis, numquam in spiram versus apicem revoluta.

Pro cunctis speciebus hujus generis.

- 14 Germen est pentagonum, nonnihil turbinatum: stylus pyramidalis simplex, initio brevis, tandem auctus: stigmata quinque primo conniventia, postea revoluta.
 15 Fructus ex quinque capsulis, aristatis.

Ex dictis hucusque constat *Geranium* a *Monsonia* (de qua in precedenti dissertatione) unice distingui staminum numero. Hac ergo de causa et quia stamina minime numeravit Linnæi filius, in supplemento quod ante mortem dedit, alteram *Monsonia* speciem *Geraniis* adjunxit, nomine scilicet *Geranii Emarginati*: ego vero, plantam siccam iterum examinando, reperi urceolum in quinque lacinias partitum, quarum quaelibet tribus filamentis terminatur: germen, stylus, stigmata, fructus denique cum *Geranio* ita conveniunt, ut pro ipso facile habeantur ab omnibus qui non attente in singulas fructificationum partes descendunt. Plantam hanc, ut supra dixi, cl. Thumbergio debeo, a quo eam accepi hoc titulo: *Geranium emarginatum Linnæi supplementi*: procul dubio sciente a *Geraniis* diversam, Ut vero Botanici *Monsonia* species omnes debito ordine possideant, hanc ultimam huic operi præfixi.

Parisiis die 9 maii anni 1787.

MONSONIÆ NOVA SPECIES.

266 MONSONIA OVATA. (Tab. CXIII. f. 1.)

M. Caule tereti: foliis oppositis, ovatis, crenatis: pedunculis axillaribus longissimis unifloris.

Geranium emarginatum: pedunculis unifloris: foliis emarginatis, ovatis, crenatis. *Lin. supp.* 306.

Caulis herbaceus, teres, filiformis.

Folia opposita, petiolis subæqualia, ovata, crenata, semiuncialia, pilis aliquot. Stipulæ utrimque binæ, subulatæ.

Flores axillares, longissime pedunculati; in media pedunculi longitudine stipulæ binæ: pedunculus floribus erectus, fructifer ab stipulis declinato-erectus, uniflorus.

Calyx ex quinque foliolis ovato-oblongis, acutis, aristatis.

Corolla ex quinque petalis, unguibus angustissimis, sensim versus apicem dilatatis, ibique crenulato-præmorsis, albido-flavis, striis tribus longitudinalibus.

Staminum urceolus germen cingens monophyllus, rubescens, in quinque laciniis partitus, quarum qualibet terminatur filamentis tribus: antheræ ovato-oblongæ.

Germen pentagonum, turbinatum, villosum: stylus simplex; stigmata quinque.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, oblongæ, basi acutæ, terminatæ arista sesquipollicari, tortili.

Habitat ad caput Bonæ spei. V. S. communicatam a D. Thunbergio.

Explicatio figuræ. a Urceolus cum filamentis magnitudine naturali. b Idem auctus. c Petalum.

PARS XXII.

DE GERANIO.

CHARACTER GENERICUS GERANII.

- Calyx simplex pentaphyllus aut profunde partitus in quinque laciniis ovatas, acuminatas, persistens.
Corolla regularis aut irregularis, pentapetala, patens.
Glandulæ quinque cum petalorum unguibus alternantes, aut earum loco cuniculus per pedunculum excurrens.
Staminum urceolus germen cingens decempartitus: antheræ ovato-oblongæ, versatiles 5-7-10.
Germen turbinato-pentagonum: stylus pyramidalis, persistens; stigmata quinque reflexa.
Fructus: capsulæ quinque ovatæ, aut basi acutæ, arista terminatæ, aut in funem tortili et plumosa, aut in spiram versus styli apicem involuta, imberbi.
Semina ovato-oblonga, solitaria, raro bina.

SECTIO PRIMA.

COROLLÆ REGULARES: GLANDULÆ QUINQUE CUM PETALORUM UNGUIBUS ALTERNANTES,

§. I. *Pedunculi uniflori.*

- 267 GERANIUM GRANDIFLORUM. *Bur.* (Tab. LXXV. f. 1.)
G. Pedunculis simplicibus, unifloris: foliis tripartito-multifidis, linearibus: caule arboreo. *Burm. Ger. n.º 1.*
G. Frutescens, incanum: flore magno, luteo, dentato. *Burm. Afr. 88. Tab. 34. f. 1.*
G. Africanum, flore luteo amplo: foliis absinthii pontici, *Herb. Fred. Ruysch.*
G. Abrotanifolio: flore amplissimo: semine duro. *Herm. catal. pl. af. p. 12.*
Grielum tenuifolium. *Lin. Sp. pl. vol. 2. p. 387.*
Caulis frutescens, ramosissimus; ramis tenuibus, subdivisis, lanuginosis,
Folia pinnata, multifida; pinnulis rectis, bi-trifidis; stipulæ.....
Flores solitarii, longissime pedunculati; pedunculis hirtis, albicantibus.
Calyx quinquefidus, patens; laciniis ovato-acutis.
Corolla magna, patens, flava; petalis apice dentatis.
Pistilla (*Burmanus in Prodr. Flora cap.*) quinque distincta, nec in rostrum coalita: germina subulata: vix styli vestigium: stigmata verruciformia,
Habitat in Africa. H. V. figuratam apud Burm. loco citato,

A A N A

Folia zonato-ma

24. Zonale. t. 98. f. 2.
25. Marginatum.
26. Tetragonum. t. 99.
27. Peltatum. t. 100.
28. Tabulare. t. 100.
29. Elongatum. t. 101.
30. Alchimilloides. t.

GERANIORUM TABULA ANALYTICA.

Corollæ regulares, glandulæ quinque.

Corollæ irregulares, cuniculus per pedunculum excurrens.

Pedunculi uniflori.		Pedunculi biflori.		Pedunculi multiflori.		Folia zonato-maculata.		Folia immaculata.	
	Petala bifida, aut emarginata.	Petala integra.	Folia integra, aut lobata.	Folia pinnata.		Folia integra, aut subintegra.	Folia lobata, vel ternata.	Folia pinnata.	
267. Grandiflorum. t. 75. f. 1.	275. Tuberosum. t. 78. f. 1.	292. Phœum. t. 89. f. 2.	306. Crassifolium. t. 90. f. 1.	315. Petræum. t. 96. f. 2.	324. Zonale. t. 98. f. 2.	331. Ciliatum. t. 118. f. 2.	347. Africanum. t. 104. f. 1.	376. Pinnatum. t. 115. f. 2.	
268. Spinosum. t. 75. f. 2.	276. Dissectum. t. 78. f. 2.	293. Pratense. t. 87. f. 1.	307. Malacoides. t. 91. f. 1.	316. Rupestre. t. 90. f. 3.	325. Marginatum.	332. Longifolium. t. 102. f. 1.	348. Althæoides. t. 123. f. 2.	377. Astragalifolium. t. 104. f. 2.	
269. Sanguineum. t. 76. f. 1.	277. Columbinum. t. 82. f. 1.	294. Palustre. t. 87. f. 2.	308. Heliotropioides. t. 113. f. 1.	317. Romanum. t. 94. f. 2.	326. Tetragonum. t. 99. f. 2.	333. Lanceolatum. t. 102. f. 2.	349. Acerifolium. t. 112. f. 2.	378. Capillare. t. 97. f. 1.	
270. Prostratum. t. 76. f. 3.	278. Incanum. t. 82. f. 2.	295. Batrachioides. t. 85. f. 2.	309. Glaucophyllum. t. 92. f. 2.	318. Cicutarium. t. 93. f. 1.	327. Peltatum. t. 100. f. 1.	334. Auritum.	350. Inquinans. t. 106. f. 2.	379. Hirtum. t. 117. f. 2.	
271. Ranunculoides.	279. Pusillum. t. 83. f. 1.	296. Macrorrhizum. t. 85. f. 1.	310. Chium. t. 92. f. 1.	319. Charophyllum. t. 95. f. 1.	328. Tabulare. t. 100. f. 2.	335. Œnotheræ.	351. Papilionaceum. t. 112. f. 1.	380. Arenarium.	
272. Chamædryoides. t. 76. f. 2.	280. Humile. t. 83. f. 2.	297. Maculatum. t. 86. f. 2.	311. Littoreum.	320. Moschatum. t. 94. f. 1.	329. Elongatum. t. 101. f. 3.	336. Glaucum. t. 103. f. 2.	352. Vitifolium. t. 111. f. 2.	381. Proliferum. t. 120. f. 3.	
273. Sessiliflorum. t. 77. f. 2.	281. Molle. t. 83. f. 3.	298. Asphodeloides.	312. Arduinum.	321. Laciniatum. t. 113. f. 3.	330. Alchimilloides. t. 98. f. 1.	337. Oxaloides. t. 97. f. 2.	353. Grossularioides. t. 119. f. 2.	382. Pinnatifidum. t. 120. f. 1.	
274. Sibiricum. t. 77. f. 1.	282. Pyrenaicum. t. 79. f. 2.	299. Lucidum. t. 80. f. 2.	313. Incarnatum. t. 91. f. 2.	322. Ciconium. t. 95. f. 2.		338. Ovatum. t. 103. f. 3.	354. Viscosum. t. 108. f. 2.	383. Ramosissimum.	
	283. Cinereum. t. 89. f. 1.	300. Rotundifolium. t. 93. f. 2.	314. Trifolium. t. 97. f. 3.	323. Alpinum. t. 96. f. 1.		339. Betulinum.	355. Quercifolium. t. 119. f. 1.	384. Minimum. t. 121. f. 3.	
	284. Lupinoides.	301. Robertianum. t. 86. f. 1.				340. Acetosum. t. 104. f. 3.	356. Scabrum. t. 108. f. 1.	385. Daucifolium. t. 120. f. 2.	
	285. Argenteum. t. 77. f. 3.	302. Palmatum. t. 84. f. 2.				341. Hybridum. t. 105. f. 2.	357. Hirsutum. t. 101. f. 2.	386. Triste. t. 107. f. 1.	
	286. Bohemicum. t. 81. f. 2.	303. Gruinum. t. 88. f. 2.				342. Cordifolium. t. 117. f. 3.	358. Hispidum. t. 110. f. 1.	387. Appendiculatum. t. 121. f. 2.	
	287. Carolinianum. t. 124. f. 2.	304. Botrys. t. 90. f. 2.				343. Hermanifolium.	359. Bicolor. t. 111. f. 1.	388. Radula. t. 101. f. 1.	
	288. Striatum. t. 79. f. 1.	305. Maritimum. t. 88. f. 1.				344. Cotyledonis.	360. Capitatum. t. 105. f. 1.	389. Fruticosum. t. 122. f. 2.	
	289. Nodosum. t. 80. f. 1.					345. Cucullatum. t. 106. f. 1.	361. Lobatum. t. 114. f. 2.	390. Coriandrifolium. t. 116. f. 1.	
	290. Reflexum. t. 81. f. 1.					346. Odoratissimum. t. 103. f. 1.	362. Terebenthinac. t. 114. f. 1.	391. Betonicum. t. 118. f. 1.	
	291. Ibericum. t. 124. f. 1.						363. Biflorum.	392. Ferulaceum. t. 110. f. 2.	
							364. Variegatum. t. 118. f. 3.	393. Gibbosum. t. 103. f. 1.	
							365. Articulatum. t. 122. f. 1.	394. Carnosum. t. 99. f. 1.	
							366. Crispum. t. 109. f. 2.		
							367. Exstipulatum. t. 123. f. 1.		
							368. Fulgidum. t. 116. f. 2.		
							369. Bifolium. t. 115. f. 3.		
							370. Stipulaceum. t. 122. f. 3.		
							371. Trifidum. t. 115. f. 1.		
							372. Ternatum. t. 107. f. 2.		
							373. Lavigatum. t. 121. f. 1.		
							374. Aceoides.		
							375. Abrotanifolium. t. 117. f. 1.		

Caroline Webster, Graduate of

Bedford Hills

Bedford Hills

Name	Address	City
124	124	124
125	125	125
126	126	126
127	127	127
128	128	128
129	129	129
130	130	130
131	131	131
132	132	132
133	133	133
134	134	134
135	135	135
136	136	136
137	137	137
138	138	138
139	139	139
140	140	140
141	141	141
142	142	142
143	143	143
144	144	144
145	145	145
146	146	146
147	147	147
148	148	148
149	149	149
150	150	150
151	151	151
152	152	152
153	153	153
154	154	154
155	155	155
156	156	156
157	157	157
158	158	158
159	159	159
160	160	160
161	161	161
162	162	162
163	163	163
164	164	164
165	165	165
166	166	166
167	167	167
168	168	168
169	169	169
170	170	170
171	171	171
172	172	172
173	173	173
174	174	174
175	175	175
176	176	176
177	177	177
178	178	178
179	179	179
180	180	180
181	181	181
182	182	182
183	183	183
184	184	184
185	185	185
186	186	186
187	187	187
188	188	188
189	189	189
190	190	190
191	191	191
192	192	192
193	193	193
194	194	194
195	195	195
196	196	196
197	197	197
198	198	198
199	199	199
200	200	200

Nota. Planta hæc, si ex facie conjiciendum, ad Monsoniam spectat: calycis enim atque corollæ magnitudo, hujusque apices dentati, tum etiam pedunculus uniflorus, solitarius atque longissimus, propria hæc omnia videntur Monsoniæ. Verumtamen videndum ulterius, atque consulendi sunt qui plantam vivam examinabunt. Quod vero diversa sit ab RANUNCULO-PLATICARPOS Bur. Af. t. 53, quod est GRIELUM Linnæi, vel ex tabularum inspectione constat. Cum dubio tamen Geraniis adnumero propter pistilla quinque distincta.

268 GERANIUM SPINOSUM. *Burm.* (Tab. LXXV. fig. 2.)

G. Caule carnoso, nodoso: spinis subulatis: foliis cuneiformibus, reflexis; pedunculis unifloris.

G. Spinosum et nodosum, foliis reflexis. *Burm. Afr. 18. tab. 31.*

G. Pedunculis simplicibus unifloris; foliis cuneiformibus, sinuosis; ramis nodosis, spiniferis. *Burm. Ger. n.º. 2.*

G. Pedunculis unifloris: caule carnoso, noduloso: spinis solitariis, strictis. *Lin. Sp. pl. n.º. 66.*

Radix simplex, vix fibrosa.

Caulis carnosus, erectus, humilis, ramosus, obvallatus undique nodis aut tuberculis latis, glabris, inæqualibus, ex quorum centro spina provenit, longissima, acuta, nigricans.

Folia opposita, subsessilia, cuneiformia, reflexa, sinuato-crenata. Stipulæ...

Flores solitarii, pedunculati.

Calyx pentaphyllus, apice aristatus.

Corolla purpurascens, patens, calyce major, petalis integerrimis.

Stamina: filamenta decem, æqualia.

Reliqua desiderantur.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. *H. V. S. Communicatum a D. Thunberg.*

269. GERANIUM SANGUINEUM. *Lin.* (Tab. LXXVI. f. 1.)

G. Caule articulato, rubro, hispido: foliis orbiculatis, profunde 5-7-partitis, laciniis trifidis: pedunculis solitariis, longissimis, unifloris articulatis.

G. Pedunculis unifloris, foliis quinquepartitis, trifidis, orbiculatis. *Lin. sp. pl. n.º. 65. Burm. Ger. n.º. 3.*

G. Sanguineum maximo flore. *Bauh. pinax 318. n.º. 4. Tournef. 267. Morisson. hist. 2. sect. 5. t. 16. f. 17. Lamarck, Flore Française, 672, n.º. II. Quer et Ortega, Flora Espagno'a, n.º. II. Bulliard, Herbar de la France, fig. optima.*

G. VII. Hæmatodes. *Clus. hist. lib. V. p. Cl. CII. fig. Panon. 421.*

G. Pedunculis simplicibus unifloris. *Hort. Cliff. 343.*

Caulis teres, rubescens, pilis hirtis nec rigidis, articulis incrassatis, ramosis, pedalis, et ultra.

Folia opposita, petiolis subæqualia, sæpius in septem lacinias trifidas profunde partita, mollia, atro-viridia. Stipulæ breves, acutæ, reflexæ, basi lata.

Flores solitarii, axillares, pedunculis folio multo longioribus, erectis, prope medium inflexis, utrimque stipulatis.

Calyx monophyllus, profunde partitus in quinque laciniâs ovatas, mucronatas, villosas: striæ longitudinales decem. (consulatur observ. II. præfat.)

Corolla magna, patens, supina, sanguinea; petalis basi angustatis, apice rotundatis, subcordatis.

Stamina: filamenta decem, albicantia, subæqualia, in urceolum basi coalita: antheræ ovato-compressæ, cinereæ, versatiles.

Germen subgloboso-sulcatum: stylus pyramidatus: stigmata quinque reflexa.

Fructus: capsulæ quinque globoso-ovata, glabræ, nigra intra calycem hiantem, terminatæ arista, quæ fructu maturo in spiram versus apicem involvitur. Semina in singulis capsulis duo, nigra, glaberrima, ovata, quandoque unum, tuncque majus.

Habitat in Europæ pratis siccis umbrosis. Tr. Habui floridam a mense maio. Colit. in R. H. P.

Tota planta vulneraria censetur et adstringens.

Explic. fig. a Urceolus cum glandulis et staminibus. b Fructus. c. Semina duo. d. Unicum.

270. GERANIUM PROSTRATUM. (Tab. LXXVI. f. 3.)

G. Caule prostrato, nodoso; nodis inflatis: foliis oppositis, profunde quinquelobatis, lobis trifidis: corollis roseis, variegatis.

G. Hematodes Lancastrense flore eleganter variegato. *Dill. Elth. p. 163. tab. 136. f. 163. Lin. sp. pl. n°. 65. β.*

G. Hematodes, flore variegato. *Tournef. inst. 267.*

G. Hematodes, flore pallido minore, striis rubris, versicolore. *Pluk. Alm. 168.*

Caules teretes, nodis inflatis rubescentibus, prostrati, vix pedales.

Folia opposita, petiolis sæpe majora, subrotundo-quinquelobata, lobis profundis, trifidis. Stipulæ basi latæ, supra acutæ, marcescentes, rubræ, breves.

Flores solitarii, alternatim axillares, pedunculati, pedunculis folio longioribus, unifloris, ad geniculum stipulatis, stipulis duabus lineari-acutis.

Calyx ovatus, profunde partitus in quinque laciniâs ovatas, aristatas; striæ decem.

Corolla rosea, lineis saturatioribus, patens; petalis subrotundis, integris, basi angustatis.

Stamina: urceolus albicans, filamentis decem antheriferis terminatus, corollâ dimidio brevioribus. Antheræ dilute flavæ.

Germen pentagonum, pyramidem sustinens, quæ terminatur in stigmata quinque flava, reflexa.

Fructus intra calycem: capsulæ quinque subovata, terminatæ arista imberbi, quæ fructu maturo versus apicem in spiram revolvitur. Semina solitaria, raro bina, ovata.

Habitat in Anglia, Suecia. H. V. V. in R. H. P. Floret mensibus junio, julio, augusto.

Obs. I. Clarissimi Linnæus et Burmanus hanc speciem cum præcedente conjunxerunt, ego vero separandas duxi propter rationes in descriptionibus contentas.

II. *Plantam colui; quæ media videtur inter præcedentes: caulis est ipsi prostratus, raris erectus: flores maximi violacei nec lineis variegati.*

271. GERANIUM RANUNCULOIDES. *Burm.*

G. Pedunculis longissimis, unifloris: foliis orbiculato-multifidis; radice tuberosa. *Burm. Ger. n.º. 4.*

Geranium africanum tuberosum, folio ranunculi, flore pallido, maculis et stella purpureis notato. *Boerh. Lugd. 1. p. 263. n.º. 21.*

Planta herbacea, rami longissimi, dichotomi.

Folia multifida, inæqualiter dissecta, laciniis utcumque trifidis, quarum media longissima. Stipulæ...

Flores solitarii, axillares: pedunculus spithamalis ex ramorum dichotomia, uti ex alis, ubi brevior, simplex, superius quoque genicularus ac bracteatus, maximeque affinis G. sanguineo.

Corolla cœrulea, petalis æqualibus, integris, macula purpurea notatis.

Habitat in Africa. Nullibi hanc plantam vidi, nisi descriptam in Burmani opere supra citato,

272. GERANIUM CHAMÆDROIDES. R. H. P. (Tab. LXXVI. fig. 2.)

G. Acaule, foliis radicalibus, parvis, orbiculatis, cordatis, crenato-incisis: scapis unifloris, bracteatis.

G. Æstivum minimum, supinum, alpinum, chamædryoides, flore albo variegato. *Paul. Bocconne, tab. 128.*

G. Minimum chamædryoides. *Tournef. 269.*

G. Parvulum, pedunculis radicalibus, nudis, unifloris, floribus pentandris. *Scopoli, Delic. Floræ p. 8. t. 3.*

G. *Reichardi* scapis unifloris, foliis plerisque oblongis, trilobis vel quinquelobis, inciso-crenatis. *Murr. in comm. Gott. 1780. p. 11. t. 3.*

Radix oblonga, teres, alba, cortice nigro tecta ex cujus summitate scapi prodeunt et folia.

Folia radicalia, longissime petiolata, petiolis erectis, numerosa atque cespitem formantia, cordata, orbiculata, crenato-incisa, nitida, glaberrima, parva, petiolis multo breviora, qui pilis raris ornantur. Stipulæ...

Flores radicales, scapis diaphanis, unifloris, petiolo paulo longioribus, bracteatis, bracteis oppositis.

Calyx parvus, profundissime partitus in quinque lacinias sublineares, patentissimas, carinatas, acumine brevi terminatas.

Corolla campanulato-patens, alba; petalis integerrimis, oblongis; unguibus villosis, inter quas totidem glandulæ virides, carnosæ, obcordatæ.

Stamina: urceolus germen cingens filamentis decem terminatus: horum quinque alternatim brevissima, sterilia: reliqua alba, longa, antherifera, quæ germine fecundato recurvantur, atque inter singula petala prodeuntia calyci incumbunt. Antheræ luteæ, ovato-compressæ, versatiles.

Germen minimum: stylus simplex staminibus brevior: stigmata quinque recurva, alba.

Fructus: capsulæ quinque, subtriquetræ, oblongæ, basi acuminatæ, villosæ;

arista terminatæ brevi, quæ fructu maturo in spiram contorquetur. Semina solitaria, rufescentia, oblongiuscula.

Habitat in Monte S. Michaelis Insula Corsica. H. V. V. florentem a mense maio usque ad aug. Colit. in R. H. P.

Explicatio fig. e Urceolus cum staminibus auctus. f Idem expansus. g Capsula aucta. F. Fructus mag. nat.

273. GERANIUM SESILIFLORUM. (Tab. LXXVII. fig. 2.)

G. Radice napiformi, squamosa: foliis subrotundis, septempartitis; laciniis trifidis: floribus subsessilibus.

G. Floribus sessilibus, purpurascens. *Commers. Her.*

Ex eadem radice, apice, sæpius bifida, folia prodeunt numerosa, longissime petiolata, subrotunda, septempartita, laciniis trifidis. Petioli basis est stipula lata, exsiccatione ferruginea, bifida, qualis observatur in pluribus Africanis, quorum petioli basi quasi alati apparent.

Flores solitarii, numerosi, brevissime pedunculati.

Calyx ovatus, villosus, profunde partitus in quinque lacinias ovatas, apice acuminatas.

Corolla purpurascens, calyce fere dupla.

Fructus: capsulæ quinque, ovatae, arista lata, brevi (trium linearum) terminata, quæ fructu maturo in spiram revolvitur. Semina solitaria ovata.

Habitat in Fretto Magellanico, observatum a Commersonio. V. S. communicatum a D. de Jussieu.

Obs. *Differt hæc species a G. ARGENTEO Lin. pedunculis omnibus unifloris, brevibus; foliis longissime petiolatis, nec sericeis; acu denique aut pyramide brevi, crassa.*

274. GERANIUM SIBIRICUM. *Lin.* (Tab. LXXVII. fig. 1.)

G. Caule herbaceo, villosissimo: foliis oppositis, quinquepartitis: pedunculis subunifloris.

G. Pedunculis subunifloris; foliis quinquepartitis acutis; foliolis pinnatifidis. *Lin. sp. pl. n.º. 64. Burm. Ger. 4. Jacq. hort. vol. 1. t. 19.*

G. Pedunculis unifloris; foliis triangularibus, quinquelobis, serratis. *Hall. Gott. t. 1. p. 225.*

Caulis teres, rubescens, valde villosus (glabrum dixit Jacq. loco supra citato), ramosissimus, sesquipedalis.

Folia opposita, petiolis breviora, præsertim inferiora, tenera, pubescentia, quinquepartita, lobis media sua parte latioribus, dentibus aliquot magnis; (neque ad petiolum usque incisa, nec pinnatifida, ut dicebat Burmanus.) Stipulæ utrimque binæ, basi latiores, oblongæ, acutæ.

Flores alternatim axillares, pedunculis elongatis, sæpe unifloris, quandoque bifloris, geniculatis; a geniculo deflexo-erectis, quum fructum sustinent.

Calyx pentaphyllus, foliolis ovato-acuminatis, aristatis, exterioribus latioribus. Striæ decem more congenerum.

Corolla campanulato-patens, petalis nonnihil emarginatis, dilute purpureis, lineis tribus saturatoribus; glandulæ parvæ, hæmisphæricæ.

Stamina : urceolus germen cingens , filamentis terminatus decem antheriferis.
Antheræ albicantes , margine cœruleo cinctæ.

Germen pentagonum villosum : stylus pyramidalis : stigmata quinque incarnata , patentia , incrassata.

Fructus : capsulæ quinque ovatæ , nigricantes , subtomentosæ , arista brevi terminatæ , quæ in spiram revolvitur. Semina solitaria , nigra , glabra , ovato-oblonga.

Habitat in Sibiria et in China. Ψ . *Habui floridum a mense julio usque ad septemb. Colitur in R. H. P.*

Nota. *Exemplar Chinense missum a Patre d'Incarville exstat apud D. de Jussieu in illius herbario sinico n^o. 24.*

Expl. fig. a Fructus. b Semen. c, e Antheræ auctæ antice et postice spectatæ.

§. II. PEDUNCULI BIFLORI.

A. Petala bifida , incisa , aut emarginata.

275. GERANIUM TUBEROSUM. *Lin.* (Tab. LXXXVIII. f. 1.)

G. Foliis albicantibus multipartitis , laciniis linearibus , subpinnatis , obtusis ; pedunculis binis aut bifloris , petalis emarginatis.

G. Pedunculis bifloris , foliis multipartitis ; laciniis linearibus subdivisis , obtusis. *Lin. sp. pl. n^o. 42. Hort. Cliff. 343. n^o. 3. Burm. Ger. n^o. 9. Dodon. pempt. p. 60. fig.*

Ger. tuberosum majus. *Bauh. pin. n^o. 9. Tournef. inst. 267. Moris. hist. sect. 5. t. 16. f. 21.*

Geran. bulbosum. *Lob. hist. 377.*

Radix tuberosa , profunda.

Caulis teres , erectus , dichotomus , pedalis.

Folia opposita , petiolata , petiolis teretibus folio brevioribus ; usque ad petiolum quinquepartita , laciniis linearibus , subpinnatis , obtusis. Stipulæ breves , subovatæ.

Flores axillares , pedunculis binis , erectis , unifloris , petiolo longioribus ; in dichotomia vero , pedunculus solitarius , biflorus.

Calyx profundissime quinquepartitus in quinque lacinias ovato-oblongas , brevissimo cuspe rubro terminatas.

Corolla dilute cœrulea , campanulato-patens : petala quinque , subrotunda , biloba , unguibus angustis basi urceoli affixa (quod commune est ceteris speciebus) , striis saturatioribus notata.

Stamina : urceolus brevis , germen cingens , in decem filamenta , æqualia , rubra terminatus , corollâ breviora : antheræ fuscæ , ovato-compressæ.

Germen parvum , subovatum : stylus pyramidalis : stigmata quinque rubra.

Fructus : capsulæ quinque , ovatæ , monospermæ , arista terminatæ , quæ fructu maturo in spiram versus apicem involvitur.

Habitat in Anglia , Italia. Ψ . *V. V. Colit. in R. H. P. Floret mense maio.*

276 GERANIUM DISSECTUM. *Lin.* (Tab. LXXXVIII. f. 2.)

- G. Caule villosulo, erectiusculo; foliis quinquepartito - trifidis: pedunculis bifloris, folio brevioribus.
- G. Pedunculis bifloris; foliis quinquepartito-trifidis, petalis emarginatis, longitudine calycis; arillis villosis. *Lin. sp. pl. n.º. 61.*
- G. Pedunculis bifloris, foliis quinquepartito-multifidis, caule glabro, erectiusculo. *Burm. Ger. 15. Lin. Cent. 1. p. 21. n.º. 62.*
- G. Columbinum maximum, foliis dissectis. *Tournef. inst. 268, Lamark, Flore Franç. 672 n.º. 26. Quer et Ortega, Flor. Hisp. n.º. XIV.*
- G. Columbinum majus, foliis imis usque ad pediculum divis. *Moris. his. 2. p. 511. sect. 5. t. 3. f. 3. Vaillant, Botan. Paris. t. 15. f. 2.*
- Radix perpendicularis, fibrillis innumeris, capillaribus.
- Caules ramosi, villosi, erectiusculi, vix pedales, geniculati, geniculis inflatis.
- Folia opposita, longe petiolata, subglabra, radicalia, reniformia, in novem laciniis semifida (non usque ad pediculum, ut dixit Vaillant); laciniis trifidis; caulina vero profundissime quinquepartita; laciniis sæpe trifidis, aliquando linearibus, indivisis. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, rubescentes.
- Flores in pedunculis solitariis, alternando-axillaribus, bifloris, folio multo brevioribus: pedunculi partiales, propè calycem valde incrassati: involucrium setosum, tetraphyllum.
- Calyx ovatus, villosus, profundissime partitus in quinque lacinias ovatas, apice aristatas. Striæ decem.
- Corolla minuta, rubescens, calyce minor; petalis emarginatis.
- Stamina: filamenta decem in urceolum basi coalita: antheræ purpurascens,
- Germen minimum; stylus simplex; stigmata quinque.
- Fructus calyce patulo, multo minor: capsulæ quinque villosæ, monospermæ; arista terminatæ trium linearum. Semina globosa, cinerea.
- Habitat in Europa Australiore. ☉ V, V. passim in agris mensibus maio, junio et julio. Colit. in R, H, P.*
- Obs. *Differt a sequenti præsertim pedunculorum brevitate.*
- Expl. fig. a Flos integer magnitudine naturali. b Idem auctus.

277 GERANIUM COLUMBINUM. *Lin.* (Tab. LXXXII. f. 1.)

- G. Caule procumbente: foliis oppositis palmatis, laciniis pinnatis: pedunculis solitariis, longissimis, bifloris.
- G. Pedunculis bifloris, folio longioribus, foliis quinquepartito-multifidis, arillis glabris, calycibus aristatis. *Lin. sp. pl. n.º. 59. Bur. Ger. n.º. 22.*
- G. Columbinum dissectis foliis, pediculis florum longissimis. *Tournef. inst. 268. Vaillant, Bot. Paris. 79. tab. 15. f. 4. Lamarek, Flore Franç. 672. n.º. XXVII.*
- G. Caule procumbente, foliis quinquepartitis, lobis trilobis, lobulis trifidis, *Hall. helv. n.º. 938.*
- Caules erecto-decumbentes, teretes, sanguinei; internodiis nudis, distantibus, pedales et ultra.
- Folia opposita, petiolis rubris breviora, profunde partita in quinque lacinias pinnatas, pinnulis linearibus. Stipulæ plures trifidæ, rubræ.

Flores in pedunculis alternando axillaribus, solitariis, bifloris folio longioribus : ad bifurcationem bractæ, acutæ.

Calyx pentagonus, angulis prominentibus, latis; ex quinque foliolis basi subcoalitis, introrsum carinatis, arista longa terminatis.

Corolla dilute cœrulea, petalis oblongiusculis, calycis fere longitudinis, apicibus orbiculatis, nonnihil præmorsis.

Stamina : filamenta decem basi in urceolum album coalita : antheræ totidem, parvæ fuscæ.

Germen pentagono-globosum : stylus simplex, incrassatus : stigmata purpurascencia.

Fructus intra calycem apertum : capsulæ quinque ovatæ, glabræ, arista vix semiunciali terminatæ, quæ fructu maturo versus apicem involvitur. Semina solitaria, ovata, nigricantia.

Habitat in Helvetia, Gallia, Germania. ☉ V. V. passim in agris umbrosis.

Obs. In herbario D. de Jussieu exstat planta, quam Tournefortius corol. inst. descripsit, Geranium orientale columbinum magnis floribus, pediculis longis insidentibus : quæ, si superioris varietas, est valde notanda.

278 GERANIUM INCANUM. Lin. (Tab. LXXXII. f. 2.)

G. Caule procumbente : foliis palmatis, subtus incanis; laciniis pinnato-linearibus; capsulis hirsutis; pedunculis longissimis bifloris.

G. Pedunculis bifloris, calycibus aristatis, petalis integris, arillis hirsutis, foliis subdigitatis, pinnatifidis. Lin. sp. pl. n.º. 60.

G. Pedunculis subbifloris; foliis palmatis, multipartitis; laciniis pinnato-linearibus, subtus tomentosus. Burm. Ger. 26.

G. Africanum tenuifolium, Robertiani divisuris, flore magno striato. Pluk. Phyt. t. 186. f. 4?

G. Africanum folio pulsatilæ, infra argenteo, flore albo. Boerh. lugd. n.º. 23.

Caules filiformes, procumbentes, nodosi, nodis incrassatis, distantibus, bipedales et ultra.

Folia opposita, petiolis breviora, subrotundo-palmata, partita in quinque præcipuas lacinias, pinnato-lineares, acutas : desuper saturate viridia, subtus tomento brevi incana. Stipulæ plures, multifidæ, acutæ, marcescentes.

Flores longissime pedunculati : pedunculis supra bipartitis bifloris (numquam multifloros vidi in plantis vivis) : ad bifurcationem bractæ duæ subulata.

Calyx ex quinque foliolis basi subcoalitis, ovatis, aristatis, glabris : striæ decem.

Corolla alba, campanulato-patens, petalis subrotundis, nonnihil emarginatis.

Reliqua ut in præcedenti, at germen et capsulæ tomentosæ

Habitat ad Caput B. S. H. Habui floridum a mense junio usque ad finem augusti. Colitur in R. H. P.

Obs. Exemplaria Africana collecta a D. Sonnerat foliorum lacinias habent angustissimas : adeo ut pro varietate reputari queant.

Synonymum Plukenetii atque figuram cum dubio ad hanc speciem refero, quia

flores in ea video solitarios. Si vero auctor voluerit meam plantam designare; fatendum erit illius figuram esse pessimam.

279 GERANIUM PUSILLUM. *Lin.* (Tab. LXXXIII. f. 1.)

G. Caule herbaceo ramoso: foliis subrotundo-lobatis; lobis trifidis: floribus minimis pentandris, cœruleis

G. Malacoides minus. *Bauh. pin.* 319. n^o. 4.

G. Columbinum majus, flore minore cœruleo. *Vaill. Bot. Par. p.* 79. t. 15. f. 1.

G. Pedunculis bifloris, petalis bifidis, caule prostrato, foliis reniformibus palmatis, laciniis linearibus acutis. *Burm. Ger.* 23.

Bec de grue mauvin. *Lamarck; Flore Française.* 672. n^o. XIII.

Radix teres, rubescens, perpendicularis, fibrosa.

Caulis teres, vix pubescens, suberectus, ramosus, ramis patulis, pedalis.

Folia radicalia longissime petiolata, subrotunda, novem lobis, tripartitis, mollia, villosa: caulina opposita, inæqualia, pedunculis subæqualia, laciniis acutioribus. Stipulæ capillares, plures, villosæ.

Flores in pedunculis axillaribus, solitariis, bifloris: pedicelli erecti, dehin deflexo-erecti. Involucra stipulis similia.

Calyx ovatus minimus, profunde partitus in quinque lacinias, subovatas, villosas, muticas, quarum duæ exteriores latiores. Striæ decem.

Corolla vix calyce major, campanulato-hians, petalis dilute cœruleis, bifidis, alternando cum glandulis viridibus.

Stamina: urceolus albus germen cingens, in decem dentes terminatus, quarum quinque alterni steriles: antheræ quinque subovata, purpurascens.

Germen et stylus ut in præcedenti: stigmata ovata in stellam aperta.

Fructus: capsulæ quinque glabræ, minimæ, globosæ, arista trium linearum terminata. Semina solitaria, ovata, nigricantia

Habitat in Gallia. ☉. Floret mensibus junio et julio. V. V. in R. H. P.

Explicatio figuræ. *a* Flos integer magnitudine naturali. *b* Idem auctus. *c* Calyx auctus. *d* Genitalia aucta. *e* Fructus dehiscens mag. nat.

280 GERANIUM HUMILE. (Tab. LXXXIII. f. 2.)

G. Columbinum humile flore cœruleo minimo. *Raii stirp. Britan. p.* 359. tab. 16. f. 2. *Lin. sp. pl. n^o. 63. ad G. pusillum reduc.*

G. Malacoides seu columbinum minimum. *Park 707. Malacoides foliis dissectis minimum. Merr. P. apud Raium loco citato.*

Geranium hoc valde exiguum est, duas saltem tresve uncias æquans.

Folia parva. Flos subcœruleus minimus, petalis bifidis, æqualibus, non hiulculcis. Ad sæpes habitat elatiore, locis minime sterilibus ut pro varietate haberi nequeat; primo vere observavit D. Dillenius.

Ex Raii opere desumpsi descriptionem et figuram.

Obs. *Plantula hæc, nisi, dicente Raiò, pigmea semper etiam in terra fertili observaretur, ad præcedentem reducenda fuisset; veruntamen quum præcedens pedalis sit et ultra, hæc vero vix duos aut tres pollices attingat, diverse prodeunt, eo etiam maxime, quod nullibi hanc ultimam observaverim.*

281 GERANIUM MOLLE. *Lin.* (Tab. LXXXIII. f. 3.)

G. Caule suberecto: foliis orbiculatis, subseptemlobatis, trifidis, obtusis; caulinis oppositis, superioribus alternis.

G. Pedunculis bifloris, foliisque floralibus alternis, petalis bifidis, calycibus muticis, caule erectiusculo. *Lin. sp. pl. n.º. 57. Burm. Ger. 21.*

G. Columbinum minus, majori flore, et foliis florum bifidis. *Tournef. inst. 268. Magn. monsp. Lamarck, Flor. Fran. 672. n.º. XVII, Quer et Ortega, Flora Hisp. XII.*

Pes columbinus. *Dodon. pemp. 61. figurat.*

G. Foliis mollissimis, hirsutis, reniformibus, semiquinquefidis; lobis semitripartitis obtusis. *Hall. Helv. n.º. 939.*

G. Columbinum villosum, petalis bifidis purpureis. *Vaill. Bot. P. 79. t. 15 f. 3.*

Caulis ex radice rubente prodeunt prostrato-erecti, graciles, vix pedales, valde villosi ut et tota planta.

Folia radicalia numerosa, longissime petiolata, stipulis latis, acuminatis, squamosis, marcescentibus stipata: caulina initio opposita, superiora alterna: omnia orbiculata, profundeque fissa in 7-8-9. lobos trifidos obtusos. Stipulae caulinae saepius bifidae.

Flores axillares ubi folia opposita; at ubi alterna oppositifolia, pedunculis erectis, longis, supra bifurcatis, bifloris; involucrum ex squamulis brevibus marcescentibus.

Calyx ovatus, villosissimus, ex quinque foliolis basi subcoalitis muticis.

Corolla purpurascens, calyce major, patens: petalis emarginatis.

Stamina: filamenta decem brevia, in urceolum basi coalita: antherae totidem violaceae.

Germen globoso-striatum; stylus incrassatus: stigmata quinque.

Fructus intra calycem. Capsula ovata, arista duarum linearum terminata. Semina ovata.

Habitat passim in Europa ad plateas et agros. V. V. prope Montmorenci. Floret maio. O Colitur in R. H. P.

282 GERANIUM PYRENAICUM. *Tournef.* (Tab. LXXIX. f. 2.)

G. Caule herbaceo villosa: foliis oppositis subpeltatis orbiculatis; lobis trifidis obtusis: corollis purpureo-violaceis

G. Columbinum pyrenaicum perenne maximum. *Tournef. inst. 268. Isnard herb. Lamarck, Flore Franç. 672. n.º. XVIII.*

G. Pedunculis bifloris; foliis multifidis; laciniis obtusis, inaequalibus: petalis bifidis. *Burm. Ger. n.º. 25.*

Caulis herbacei, annui, sesquipedales, ramosi, villosi.

Folia radicalia numerosa, petiolis saepe pedibus sustentata; subpeltata, orbiculata, in septem lacinias, trifidas, obtusas, partita; superiora opposita quinquepartita. Stipulae purpurascens, laciniatae, marcescentes.

Florum pedunculi alterni, axillares, biflori, initio erecti, dehinc horizontales usque ad bifurcationem, ubi pedicelli fructiferi arcuantur ut fructus caelum spectet.

Calyx ovatus, profundissime partitus in quinque foliola ovato-acuminata.
 Corolla calyce dupla, semipollicaris, dilute cœrulea aut purpureo-violacea, patentissima; petalis bifidis. Glandulae quinque
 Stamina: urceolus germen cingens in decem filamenta brevia terminatus. Anthera toridem, fusca, ovato-compressa.
 Germen minimum: stylus viridis: stigmata rubra revoluta.
 Fructus: capsulae quinque monospermae, ovatae, sutura dorsali prominente circa pyramidem et intra cellulas positae, terminatae arista semipollicari.
Habitat in Gallia meridionali. ¶. Habui floridum a mense maio usque ad septemb.

Nota. Silentio pressi Linnæi synonymiam, quia diversa est a vera planta, quam veteres, Tournefortius, Isnardus, et alii bene multi, tradidere: adhuc, ipse Linnæus dixit hujusmodi G. PYRENAICUM cum quinque aliis speciebus, ALCEOIDE scilicet, CORIANDRIFOLIO, MYRRHIFOLIO, AURITO, atque PUSILLO, aut non sufficienter examinatum fuisse, aut ex specimenibus imperfectis. Quare si flores pentandros dixit, aut Geranium pusillum cum pyrenaico confudit; aut, Gerardi auctoritati cedens, a veritate recessit.

Obs. D. de Lamarck stamina fertilia quinque dumtaxat dixit; ego vero decem semper reperi. Planta prostrat in R. H. P. quotannis, atque pluribus mensibus floret, quæ potest consuli, ut questio, si ulla est, dissolvatur.

Explicatio figuræ. d Fructus. f Idem dehiscens. e Idem auctus cum quinque cellulis in quibus erant capsulae ante perfectam maturitatem. g Semen.

283. GERANIUM CINEREUM. (Tab. LXXXIX. f. 1.)

G. Radice crassa: foliis orbiculatis profunde quinquelobis cinereis; radicalibus longissime petiolatis, caulinis oppositis: flore magno variegato.

G. Pyrenaicum, foliis cineraceis, radice crassa, magno flore variegato. *Tournef. inst. 267. Isnard herb.*

Radix crassa, longa, apice stipulis quasi squamosa.

Caulis herbacei, vix pedales, duabus foliorum oppositionibus.

Folia cinerea: radicalia numerosa, orbiculata, profunde quinqueloba, lobis trifidis obtusis, sustentata longissimis petiolis: caulina opposita lobis sæpe integris ovatis. Stipulae ovato-lanceolatae.

Florum pedunculi axillares et terminales, folio longiores, parte superiori bifidi, biflores: ad bifurcationem stipulae sæpe quatuor, longa, acuta.

Calyx ovatus, tomentosus, ex quinque foliolis ovatis aristatis.

Corolla magna, patens, carnea, lineis purpureis variegata; petalis bifidis.

Stamina ac reliqua ut in G. sanguineo, n°. 268

Capsulae villosae, monospermae: arista pollicaris.

Habitat in montosis Galliae meridionalis. ¶ V. S. in herb. d'Isnard et de Jussieu.

284. GERANIUM LUPINOIDES. *Burman.*

G. Calycibus monophyllis; foliis orbiculatis, incisis, tomentosis, linearibus; radice tuberosa. *Burm. Ger. n°. 65.*

G. *Æthiopicum* parvum, flore magno candicante, lupini foliis argenteo-sericeis
Pluck. mantiss. Rai hist. 3. p. 512. n.º. 21.

Planta tuberosa, pusilla, acaulos.

Folia ex radice, petiolis longissimis donata, orbiculata, multipartita, quorum
 lacinia lineares, tomentosæ, splendentes.

Florum pedunculi bini ex radice centro, superius bifidi, petiolis duplo lon-
 giores.

Corolla alba magna.

Rostrum breve.

Hæc plantula in plurimis convenit cum G. argenteo. *Pluck. phyt. t. 186. f. 3.*

Habitat ad Caput Bonæ Spei.

Obs. *Quæ de hac specie dicta sunt, ex Nicolai Laurentii Burmani opere vere
 aureo transcripsi. Plantam nullibi vidi; quoniam vero laudatus auctor eam a
 G. argenteo separat, ut diversam et ego trado. Utinam et ille uberius expli-
 casset quæ ad corollæ figuram spectant! scilicet num regularis sit, aut irregu-
 laris; an petala bifida aut integra; quot antheræ, quæque capsularum figura,
 atque aristarum contortio: propter similitudinem denique cum G. argenteo hoc
 præcedit.*

285. GERANIUM ARGENTEUM. *Linn. (Tab. LXXVII. f. 3.)*

G. Radice crassa: foliis subpeltatis, 5-7 partitis, laciniis trifidis, tomentoso-
 sericeis: scapis bifloris.

G. Pedunculis bifloris, foliis subpeltatis, septempartitis, trifidis, tomentoso-se-
 riceis, petalis emarginatis. *Lin. sp. pl. n.º. 52. Burm. Ger. 8.*

G. Argenteum alpinum. *Bauh. pin. 318. Tournef. inst. 267. Lamarck. 672.
 n.º. XXV.*

G. Argenteum montis Baldi. *J. Bauh. hist. 3. p. 474. Pluck. t. 186. f. 3.*

Geranio Alpino. *Giov. Ponna mont. Bald. p. 201. fig.*

G. Argenteum alpinum longius radicatium. *Seguier. Ver. tom. 1. p. 471.
 Tab. 10.*

Radix semipedalis, crassa, intus alba, extus cinereo-nigra, quæ parte superiore
 in aliquot quasi ramulos partitur squamosos stipularum exsiccatione.

Caulis nullus.

Folia radicalia (raro in scapis) nunc breviter nunc longe petiolata, subpeltata,
 in 5, 6, aut septem lacinias trifidas profunde partita, tomentoso-sericea,
 splendentia: stipulæ lanceolato-acutæ.

Flores in scapis radicalibus, folio longioribus, bifloris: ad bifurcationem involu-
 crum pentaphyllum.

Calyx profunde partitus in quinque lacinias acutas.

Corolla pallide rubens, striis purpureis notata, patens, petalis emarginatis.

Stamina: filamenta decem antherifera, basi in urceolum coalita: antheræ luteæ
 (vena obscura circumscriptæ, dixit Seguier.)

Germen globoso-pentagonum: stylus simplex, stigmata quinque.

Fructus intra calycem: capsulæ quinque, arista pollicari terminatæ.

*Habitat in præruptis et saxosis montis Baldi. ¶. Floret mense julio. V. S. com-
 municatum a D. Thouin.*

Observ. *Sequierius dixit stylos quinque, qui pro stigmatibus certe reputandi sunt.*

286 GERANIUM BOHEMICUM. *Linn.* (Tab. LXXXI. f. 2.)

- G. Caule villosio viscoso: foliis oppositis, rugosis, glaucis, viscosis; filamentis ciliatis.
- G. Pedunculis bifloris, petalis emarginatis, arillis hirtis, cotyledonibus trifidis, medio truncato. *Lin. sp. pl. n^o. 54. Amœnitat. Academ. 4. p. 325. Burm. Ger. 14.*
- G. Batrachioides bohemicum, capsulis nigris, hirsutis. *Dill. elth. 159. t. 133. f. 160.*
- G. Annuum batrachioides bohemicum purpureo-violaceum. *Morison hist. sect. 5. Tab. 15. fig. 1. Tournef. inst. 267.*
- G. Bohemicum batrachioides annuum. *Rai hist. 1063.*
- Tota planta pilosa est atque viscosa, nonnihil glauca.
- Caulis teres, ramosus, dichotomus; ad dichotomiam incrassatus, pedalis.
- Folia opposita, petiolis breviora, glauca, rugosa, quinque-lobata lobis dentatis, subtus præsertim viscosa: stipulæ binæ, acuminatæ.
- Flores alternatim axillares, pedunculis solitariis, folio longioribus, bifloris. Involucrum ex quatuor foliolis lanceolato-acutis.
- Calyx ovatus, pentaphyllus; foliolis ovatis, aristatis, arista rubra nonnihil recurva. Striæ decem.
- Corolla intus saturate cœrulea, extus dilute et ad album colorem accedens, campanulato-patens, calyce duplo major; petalis emarginatis, atque lineis saturatioribus ornatis.
- Stamina: filamenta decem subulata, ciliata, basi in urceolum coalita: antheræ totidem, flavescentes.
- Germen pentagonum: stylus pyramidalis, pilosus, innumeris tuberculis minimis, kermesinis, pedicellatis, onustus. Stigmata quinque in stellam aperta, flavescentia.
- Fructus: capsulæ quinque monospermæ, hirsutæ, nigricantes.
- Habitat in Bohemia. ☉. V. V. Floret mense junio. Colitur in R. H. P.*
- Obs. *Linnaeus dixit hujus plantæ cotyledones esse trifidos, medio lobo truncato ut in foliis Liriodendri.*

287 GERANIUM CAROLINIANUM. *Linn.* (Tab. CXXIV. f. 2.)

- G. Caule herbaceo dichotomo; geniculis inflatis rubescentibus: foliis oppositis, quinquepartitis, trifidis: corollis parvis: capsulis nigris hirsutis.
- ^a G. Caule erecto herbaceo: foliis oppositis quinquepartitis, trifidis: floribus corymbosis: pericarpis hirsutis. (Tab. LXXXIV. f. 1.)
- G. Pedunculis bifloris, calycibus aristatis; foliis multifidis; arillis hirsutis, petalis emarginatis. *Lin. Sp. pl. n^o. 58. Burm. Ger. 24.*
- G. Columbinum Carolinum, capsulis nigris hirsutis. *Dill. hort. Elth. 162. t. 135. f. 162.*
- Ex eadem radice fibrosa caules prodeunt pedales, herbacei, initio erecti, dehin

declinati, valde ramosi, ita ut planta, quæ villosa est, tortuosa fiat. Genicula sunt inflata rubentia.

Folia opposita, petiolis sæpius breviora, profunde partita in quinque laciniis trifidas. Stipulæ utrimque binæ, lanceolatæ, rubentes, marcescentes.

Florum pedunculi axillares, longiusculi, erecti, bifurcati: in bifurcatione stipulæ sæpe quatuor, breves: pedicelli vix trium linearum.

Calyx pentagonus angulis prominentibus, ex quinque foliolis ovatis, intus glabris, carinatis, ciliatis, aristatis: quorum aristæ terminantur glandula rubra; fructifer ruber. Striæ quindecim.

Corolla calyce paulo major, alba, petalis emarginatis, tribusque striis dilutissime carneis notatis. Glandulæ quinque virides.

Staminum urceolus viridis, decempartitus; filamenta brevia: antheræ decem rotundato-compressæ, dilute flavæ.

Germen parvum: stigmata incrassata in stellam patentia.

Fructus: capsulæ quinque, ovatæ nigrae, hirsutæ, arista brevi terminatæ quæ in spiram involvitur versus apicem.

Habitat in Carolina, Virginia. ☉. Habui floridum mensibus maio et junio. Colitur in R. H. P.

I. Obs. Quamquam ex eisdem seminibus duas plantas habuerim, adeo facie diversas observavi ut operæ pretium duxerim utrasque delineare; idque notandum varietatem *a*, floribus scilicet corymbosis, petala habere vix emarginata, caulem erectum semipedalem, hujusque articulationes vix inflatas.

II. Dillenius dixit hujus speciei flores esse carnei coloris: ego albos vidi. Burmanus etiam huc refert Geranium Africanum, folio eleganter crenato, flore rubro. Boerh. Lugd. 1. p. 266. n^o. 68. *cujus folia dixit tenuius ac profundius dissecta, quod in meis plantis haud video.*

Explicatio fig. I. tab. 84. *a* Calyx expansus. *b* Corolla. *c* Petalum. *d* Genitalia aucta. *f* Fructus dehiscens.

288. GERANIUM STRIATUM. Lin. (Tab. LXXIX. fig. 1.)

G. Caule herbaceo decumbente: foliis quinquelobis; lobis dentatis, medio dilatatis; petalis bilobis, venoso-reticulatis.

G. Pedunculis bifloris, foliis quinquelobis, lobis medio dilatatis, petalis bilobis venoso-reticulatis. Lin. *Sp. pl.* n^o. 48. *Amæn. Acad.* 4. p. 282. *Burm. Ger.* n^o. 6.

G. Romanum versicolor sive striatum. *Parkins. Parad.* p. 229. *f.* 7. *Moris. hist. sect.* 5. t. 16. *f.* 24. *mala. Tournef. inst.* 267.

G. Foliis septilobatis, rugosis, acute dentatis; petalis venosis, emarginatis. *Haller. Helv.* n^o. 936.

Caules teretes, rubescentes, villosi, pedales, decumbentes.

Folia opposita, longe petiolata, subquinquelobata, inæqualiter dentata, lobis medio dilatatis: desuper nitida, leto-viridia, subvillosa; subtus dilutiora, nervis prominentibus, quandoque maculis fuscis ad sinus lobi intermediis. Stipulæ ad singulos petiolos binæ, angustæ, acutæ, marcescentes.

Calyx ovatus, profundissime partitus in quinque foliola oblonga, concava, cuspide setosa terminata. Striæ decem.

Corolla campanulato-patens : petala biloba , albicantia , venis reticulatis pur-
 purascentibus notata : unguis angustissimi , inter glandulas virides.

Stamina : filamenta decem alba , alternatim longiora , basi in urceolum coalita :
 antheræ totidem oblongæ , versatiles , dilute cœruleæ.

Germen ovato-acuminatum , glabrum : stylus simplex pyramidatus : stig-
 mata quinque.

Fructus : capsulæ quinque ovatæ , subvillosæ , arista plana imberbi terminatæ ,
 quæ fructu maturo versus apicem involvitur , more congenerum. Semina so-
 litaria , fusca , glabra , ovata.

Habitat in Italia. \mathcal{L} . *Habui floridum mensibus maio et junio.* *Col. in R. H. P.*

Explicatio fig. *a* Calyx apertus cum genitalibus. *b* Corolla cum eisdem genit. *e*
 Fructus dehiscens situ et magnitudine naturali.

289. GERANIUM NODOSUM. *Linn.* (Tab. LXXX, fig. 1.)

G. Caule tetragono rubescente erecto : foliis 3-5 lobis dentatis , desuper sca-
 bris , subtus lucidis ; petalis striatis.

G. Pedunculis bifloris , petalis emarginatis ; foliis caulinis trilobis , integris , ser-
 ratis , subtus lucidis. *Lin. Sp. pl. n.º. 47.*

G. Pedunculis bifloris , foliis caulinis trilobis , integris , serratis : summis sub-
 sessilibus. *Lin. Hort. Clif. 343. n.º. 2. Burm. Ger. n.º. 8.*

G. Nodosum. *Bauh. pin. 318. Tournef. inst. 267. Clus. hist. 2. p. CI. fig. Moris.*
sect. 5. t. 16. f. 22. Lamarck, Flore Franç. 672. n.º. XXI.

Caules tetragoni , glaberrimi , duriusculi , dichotomi , ad dichotomiæ basim
 incrassati , pedales.

Folia radicalia longissime petiolata , petiolis erectis subtetragonis fere pedali-
 bus , quinquelobata , lobis latis , acutis , dentato-crenatis , desuper scabra ,
 subtus glaberrima , lucida ; caulina opposita , superiora sessilia , atque omnia
 triloba , lobo medio productiore. Stipulæ lanceolatæ , acutæ , erectæ.

Flores in pedunculis longis , axillaribus , bifloris : involuctum tetraphyllum , fo-
 liolis lineari-acutis.

Calyx ovatus , foliolis quinque ovatis , aristatis. Striæ decem.

Corolla dilute incarnata , patens , unguibus albicantibus , petalis bifidis , striis
 tribus rubescentibus longitudinalibus.

Stamina : filamenta decem , corollâ breviora , basi coalita in urceolum album.

Antheræ totidem cœruleæ.

Germen ac reliqua ut in præcedenti : at capsulæ glabræ.

Habitat in Delphinatu. \mathcal{L} . *Habui floridum mensibus maio , junio et julio.* *Fruc-*
tum sistit tribus quamproxime elapsis hebdomadibus , quod in reliquis fere
omnibus observatur. *Colit. in R. H. P.*

Obs. *Differt a præcedenti petalis striatis , neque reticulatis : foliis saturate viri-*
dibus , nec glaucis : caule tetragono erecto.

Petala saepe nedum bifida sunt , sed etiam crenata.

290. GERANIUM REFLEXUM. *Lin.* (Tab. LXXXI, fig. 1.)

G. Caule herbaceo : foliis alternis 5-7-lobatis , acutis : petalis reflexis , lacinia-
 tis , basi inter se hiantibus ; calycibus muticis.

G. Pedunculis bifloris, foliisque alternis; petalis reflexis, laciniatis longitudine calycis mutici. *Lin. Sp. pl. n^o. 46.*

G. Foliis rugosis, hirsutis, semiseptemlobis, lobis dentatis, petalis serratis acuminatis. *Hall. Helv. n^o. 934.*

Caulis teres, herbaceus, dichotomus, pedalis, villosus, nodis rubris incrassatis.

Folia alterna: inferiora petiolis longiora, superiora subsessilia, in quinque aut septem lobos crenatos, acutos partita, villosa, mollia, nonnihil rugosa. Stipulae lanceolatae, reflexae, transparentes, marcescentes.

Florum pedunculi oppositifolii, solitarii, supra bipartiti, biflori; a dichotomia cernui, ibique involucrum tetraphyllum, foliolis lanceolatis marcescentibus.

Calyx ovatus, villosus, monophyllus, muticus, profunde partitus in quinque foliola ovata.

Corolla ex quinque petalis rubris, incis, basi reflexis, hiantibus, albis: secundo post expansionem die reflexo-patulis. Glandulae quinque melliferae haemisphaericae, glauco-virides.

Stamina: filamenta decem subulata, longa, apice rubra, basi alba in urceolum coalita: antherae ovato-compressae, flavae, margine rubente.

Germen pentagonum villis albis obductum: stylus incrassatus, glaber, viridis: stigmata reflexa.

Fructus: capsulae quinque ovatae monospermae: arista pollicaris.

Habitat in Italia. L. V. V. in R. H. P. Floret mensibus maio, junio et julio.

Explicatio fig. a Flos integer.

291. GERANIUM IBERICUM. (Tab. CXXIV. fig. 1.)

G. Caule herbaceo, dichotomo, villosa: foliis oppositis, quinquepartitis, incis, petalis trilobis, medio brevioribus cuspidato.

G. Ibericum batrachioides, minoribus foliis, maximo flore. *Tournef. corol. p. 20. Figuratum ab ipso, figura inedita.*

Caulis herbaceus, dichotomus; internodiis longissimis, aphyllis, bipedalis.

Folia opposita, inferiora longissime petiolata, 5-7lobata, lobis profundis, acutis, dentato-incis; stipulae lanceolatae, acutae, longae, utrimque duae aut tres.

Florum pedunculus simplex, axillaris, foliis longior.

Calyx ovatus, ex quinque foliis item ovatis compositus, arista terminatis.

Corolla sesquipollicaris, patens: petalis venoso-ramosis, apice trilobis, laciniis media brevioribus, cuspidatis: lateralibus rotundatis.

Stamina corollae dimidio breviora (sex video in Tournefortii figura, verumtamen decem suspicor.) Antherae oblongae.

Habitat in Oriente. Vidi figuratum a Tournefortio, apud D. de Jussieu.

B. Petala integra.

292. GERANIUM PHÆUM. *Lin.* (Tab. LXXXIX. fig. 2.)

G. Caule herbaceo erecto: foliis alternis hirsutis, palmato-quinquelobis, dentatis, incis: floribus subspicatis, calycibus mucronatis.

G. Fuscum pedunculis bifloris oppositifoliis, geminis, caule patulo, petalis integerrimis. *Lin. Sp. pl. n.º. 45.*

G. Pedunculis solitariis oppositifoliis, calycibus subaristatis, caule erecto, petalis undulatis. *Lin. Sp. pl. 44.*

G. Pedunculis bifloris, foliisque alternis, calycibus subaristatis, caule erecto. *Burm. Ger. n.º. 11.*

G. Phæum sive fuscum petalis reflexis. *Tourn. f. inst. 267. Lamarck, Flore Franc. n.º. VIII. Moris. tab. 16. f. 18.*

G. Phæum seu fuscum petalis rectis, seu planis, *Tournef. inst. ubi supra.*

Geranium I. pullo flore. *Clus. p. XCIX.*

G. Phæum flore reflexo. *I. Bauh. 3. 477.*

Caulis erectus, aliquando divisus, villosus, pedalis, et amplius.

Folia petiolata, superiora subsessilia; omniaque mollia, villosa, rugosa, subpeltata, quinqueloba, lobis dentatis incis. Stipulae lanceolatae marcescentes.

Florum pedunculi longi, oppositifoli, biflori, raro bini uniflori: formantes veluti spicam laxam.

Calyx villosus, ovatus, profunde partitus in quinque foliola aristata.

Corolla atro-rubens, reflexa, aliquando patens, petalis orbiculato-mucronatis. Reliqua ut in precedenti.

Habitat in Europa Australi. M, V. S. in variis herbariis.

Obs. I. *Hæc species valde affinis est precedenti, a qua differt calycibus aristatis, corollis atris, atque petalis minime laciniatis.*

II. *G. Phæum et fuscum Linnæi in unum conjungo, ipso innuente, tum etiam quia in herbario Isnardi speciem vidi in quo pedunculi exstant et solitarii biflori, et bini uniflori.*

293. GERANIUM PRATENSE. *Lin.* (Tab. LXXXVII. f. 1.)

G. Caule herbaceo erecto: foliis oppositis, subpeltatis, multipartitis, rugosis: lobis pinnatis, acutis.

G. Pedunculis bifloris, foliis subpeltatis multipartitis, rugosis, acutis, petalis integris. *Lin. Sp. pl. n.º. 51.*

G. Pedunculis bifloris, foliis peltatis, multipartitis, rugosis; pinnato-laciniatis, acutis. *Burm. Ger. 16 Hort. Cliff. 344.*

G. Batrachioides, Gratia Dei Germanorum. *Ba. h. pin. 318. Tournef. ins. 267. Lamarck, Flore Franç. 672. n.º. 9. Quer et Ortega, Flor. Hisp. p. 161. n.º. 5.*

Caules erecti, subglabri, angulosi, ramosi, pedales et amplius.

Folia inferiora longe petiolata, superiora subsessilia, omniaque subpeltata,

- desuper viridia, subtus albicantia, profunde multipartita, lobis pinnatis, acutis. Stipulae utrimque binæ, acutæ, marcescentes.
- Florum pedunculi axillares, solitarii, erecti, bifidi; pedicelli semipollicares, uniflori; ad cuius ortum quatuor foliola acuta.
- Calyx ovatus, villosus, ex quinque foliis ovato-oblongis, aristatis. Striæ decem.
- Corolla calyce multo maior, patens, ex quinque petalis albicantibus, venis violaceis variegatis, apice orbiculato-mucronatis.
- Staminum urceolus albus, in decem filamenta partitus, corollâ breviora. Antheræ totidem oblongæ, cæruleæ. Glandulæ virides.
- Germen pentagonum: stylus viridis pyramidalis: stigmata carnea.
- Fructus ut in affinis.
- Habitat in pratis ac locis humidis Angliæ, Galliæ, &c. Ψ. Habui floridum a mense aprili usque ad aug. Colitur in R. H. P.*
- Obs. *Hanc speciem semper observavi in hortis flore albo, in herbariis albo et cæruleo.*

294. GERANIUM PALUSTRE. *Lin.* (Tab. LXXXVII. fig. 2.)

- G. Caule herbaceo villosus: foliis oppositis, villosis, quinquelobis, incisus: pedunculis longissimis, declinatis.
- G. Pedunculis bifloris, longissimis, declinatis; foliis quinquelobis, incisus; petalis integerrimis. *Lin. Sp. pl. n.º. 50. Burm. Ger. n.º. 13.*
- G. *Batrachioides palustre*, flore sanguineo Hoffman. *Dill. hort. Elth. 160. t. 134. f. 161.*
- G. *Ranunculi pratensis folio*, flore rubente striato. *Isnard her.*
- Tota planta villosa.
- Radix nodosa, fusca, intus rubescens.
- Caules erecti, ramis divaricatis, plusquam pedales.
- Folia opposita, subrugosa, cordata, profunde quinquelobata, lobis incisus. Stipulae lanceolatae, rubescentes, utrimque binæ.
- Florum pedunculi axillares longissimi: involucrium ex quatuor foliis acutis; pedicelli duo uniflori, sesquipollicares, ante floris expansionem recurvi, fructiferi declinato-erecti.
- Calyx ex quinque foliis striatis, ovato-acutis, aristatis.
- Corolla calyce major, patens, rubro-purpurea, venis saturatoribus; petalis rotundatis, integerrimis.
- Reliqua ut in præcedenti.
- Habitat in Russia, Germania. Ψ. V. S. exemplar optimum in herbario Isnardi.*

295. GERANIUM BATRACHIOIDES. (Tab. LXXXV. fig. 2.)

- G. Caule herbaceo, erecto, dichotomo: foliis oppositis, quinque partitis, incisus: floribus cæruleis magnis; calycibus inflatis.
- Caulis herbaceus, teres, dichotomus, villosus; pedalis, erectus.
- Folia opposita, longe petiolata, profunde partita in quinquelacinias incispinnatifidas, late-viridia villosa. Stipulae longæ, acuminatæ, utrimque binæ.

Flores in summitate caulium; subcernui: involucrum tetraphyllum.
 Calyx ovatus, postea inflatus; laciniis ovatis, aristatis, striatis.
 Corolla magna patens, cæruleo-purpurea; glandulæ virides.
 Stamina urceolus piriformis, in decem filamenta partitus purpureo-albicantia, arcuato-declinata.
 Germen orbiculato - pentagonum: stylus ruber, longus, declinatus; stigmata recurva
 Fructus: capsulæ quinque glabræ, ovatæ, monospermæ: arista pollicaris. Semina cinerea.
Habitat in Alpibus. V. V. in R. H. P. Floret mense maio.
 Obs. Si ex auctorum descriptionibus judicandum est de Geranio sylvatico Lin. n^o. 49. ab hoc *Batrachioide* unice differre videtur petalis emarginatis. Ego, ut verum fatear, numquam vidi vivum *G. sylvaticum* Lin. hoc vero *batrachioide* sæpissime: quare illud in præsentiarum omitto, ne species fortasse immerito multiplicem; de ipso tamen aliquando dicam quum vivum scilicet examinare atque cum ceteris comparare poterò.
 Expl. fig. d Capitulum floris. e Fructus. f Idem dehiscens. g Semen. h Capsula cum arista.

296 GERANIUM MACRORHIZUM. Lin. (Tab. LXXXV. f. 1.)

G. Foliis oppositis quinquelobatis: calycibus inflatis, sphericis, rubris: pistillo declinato, longissimo.
 G. Pedunculis bifloris, calycibus inflatis, petalis integris, pistillo longissimo, scapo dichotomo. *Lin. Sp. pl. n^o. 43.*
 G. Pedunculis bifloris, calycibus inflatis, pistillo longissimo. *Hort. Cliff. 343. n^o. 4. Burm. Ger. n^o. 10.*
 G. *Batrachioides* odoratum. *Bauh. pin. 318. Tournef. inst. 267. Moris. hist. 2. sect. 5. tab. 16. f. 15.*
 G. *Batrachioides* longius radicum, odoratum. *I. Bauh. hist. 3. p. 477.*
 G. *Batrachioides* alterum, longius radicum. *Lobel. 660. 376.*
 G. *Batrachioides* alterum. *Dod. pempt. p. 63. fig.*
 G. *Macrorhizum*. *Jacq. Miscel. vol. 3. f. 134.*
 Caules pedales, dichotomi.
 Folia mollia, radicalia numerosa, petiolis longis, crassis, erectis; subrotundo-septemlobata, lobis incis, subrotundis: caulina opposita, breviter petiolata, cordata, quinquelobata. Stipulæ breves, basi latæ.
 Flores in dichotomiis, pedunculis bifloris, rubescentibus.
 Calyx globosus, ruber, inflatus, profundissime partitus in quinque foliola ovata, striata, aristata: exteriora latiora.
 Corolla violaceo-rubra, patens; petalis orbiculatis: glandulæ globosæ, virides.
 Stamina: filamenta decem, saturate incarnata, basi incrassata, atque in urceolum album, brevem coalita. Antheræ incarnatæ, ovatæ.
 Germen viride, pentagonum: stylus longus, purpureus, declinatus: stigmata crassiuscula, revoluta.
 Fructus: capsulæ quinque ovatæ, glabræ, dorso insculptæ, arista semiunciali terminatæ, quæ in spiram involvitur versus apicem.
 Semina solitaria, ovata.

Habitat in Italia. Ψ . *Habui floridum a mense maio usque ad augustum. Colitur in R. H. P.*

Explicatio tab. a Stamen cum anthera. b Genitalia glandulis stipata. c Petalum. F Folium inferius.

297. GERANIUM MACULATUM. *Lin.* (Tab. LXXXVI. fig. 2.)

G. Caule erecto herbaceo: foliis oppositis, quinquepartitis, incis, summis sessilibus; petalis integerrimis, rotundatis.

G. Pedunculis bifloris, caule dichotomo erecto, foliis quinquepartitis incis: summis sessilibus. *Lin. Sp. pl. n^o. 53. Burm. Ger. 17.*

G. Batrachioides Americanum maculatum, floribus obsolete cœruleis. *Dill. hort. Elth. 158. t. 132. f. 159.*

Radix crassa, et caulis teres erectus dichotomus, internodis longis, nudis, pedalis et ultra.

Folia radicalia longissime petiolata, septempartita, lobis medio latioribus, incis, acutis, nonnihil canaliculatis, tandem revolutis maculis flavescensibus: caulina opposita, sensimque brevius petiolata: superiora sessilia. Stipulae membranaceae, obtusae.

Flores in pedunculis longis, solitariis, axillaribus, bifloris: involucrium tetrafidum.

Calyx ovatus, quinquepartitus, laciniis ovato-acutis, aristatis.

Corolla dilute cœrulea; patentissima, pollicaris, petalis subrotundis, integerrimis; unguibus utrimque pilosis, basi urceoli affixis inter totidem glandulas.

Stamina: filamenta decem subulata, corollam dimidio breviora, in urceolum album basi coalita: antherae decem ovatae, compressae, sulcatae, albicantes, versatiles.

Germen pentagonum, stylus viridis pyramidalis, stigmata quinque rubra.

Fructus erectus: capsulae quinque ovatae, villosae, nigricantes, arista pollicari terminatae in spiram involuta. Semina solitaria, glabra, nigra, ovata

Habitat in Carolina, Virginia, Sibiria. Ψ . *Habui floridum mense julio.*

Obs. *Mira elasticitate semen ejicitur, ubi primum capsula a placenta, inverse fornicata, per maturitatem separantur. Itaque qui semina desideret, ubi capsulas nigras observet,umat, quum adhuc ad basim pyramidis ille adnectuntur.*

Explicatio fig. d Corolla, e Fructus. f Capsulae dehiscentes. g Semen. h Idem auctum ubi incurvatio lobi minoris ostenditur.

298. GERANIUM ASPHODELOIDES. *Burm.*

G. Pedunculis bifloris, foliis multipartitis, orbiculatis, laciniis acutis, radice tuberosa. *Burm. Ger. 27.*

G. Columbinum montanum saxatile, perampla radice, foliis parvis, altius incis, flore atro-purpureo. *Till. pis. 67.*

Geranium columbinum perenne elatius, Asphodei radice, foliis altius dissecis, flore purpurascens ampliore, petalis non bifidis. *Micheli, a quo hoc nomine transmissum ad D. Burmanum.*

Planta perennis. Radix crassa tuberosa.

Caules longi, filiformes, glabri.

Folia petiolata, opposita, orbiculata, profunde incisa et multipartita, laciniis inæqualibus, majoribus, obtusis.

Pedunculi verticales, biflori, ad divaricationem bracteis setaceis donati.

Corolla ampla, cuius petala æqualia, integra, purpurea.

Habitat in Italia. Ψ . Nullibi vidi hanc plantam: quæ vero præcedunt ex Burmano desumpsi.

Obs. In appendice Pauli Bocconi ad suum Musæum de plantis siculis, Venetiis 1702, cujus transcriptio exstat apud D. de Jussieu, hæc leguntur p. 17. n^o. 172:

Geranium montanum tuberosum rotundifolium foliis viridibus: quod ego ad *G. asphodeloides Burmani* referendum arbitror.

299. GERANIUM LUCIDUM. Lin. (Tab. LXXX. f. 2.)

G. Caule herbaceo; foliis oppositis, pilosis, lucidis, rotundato-lobatis; calycibus pyramidatis transversim rugosis.

G. Pedunculis bifloris; calycibus pyramidatis, angulatis, elevato-rugosis; foliis quinquelobis rotundatis. Lin. Sp. pl. n^o. 56. Burm. Ger. 19.

G. Lucidum saxatile. Bauh. pin. 318. Tournef. inst. 267. Vaill. 80. n^o. 9. Lamarck, Flore Franç. 672. n^o. XV. Quer et Ortega, Flor. Hisp. tom. 6. n^o. XV.

G. Lucidum. I. Bauh. hist. p. 481. figurat.

G. Rotundifolium saxatile montanum. Fab. Colum. p. 138. f. 137.

G. Foliis subrotundis, semiquinquelobis, lobis obtusis, calycibus transversim rugosis. Hall. Helv. n^o. 942.

Caules ramosi vix pedales.

Folia opposita; inferiora longe petiolata, superiora brevius et inæqualiter subrotunda, 5-7-lobata, lobis apice latioribus, tricrenatis, crenulis parce mucronatis; lucida pilis raris ornata. Stipulæ ovato-acutæ, marcescentes.

Flores in pedunculis alternatim axillaribus ad folium brevius petiolatum, erectis, bifloris.

Calyx pyramidatus, foliolis quinque aristatis, transversim sulcatis et veluti rugosis.

Corolla calyce paulo longior: petalis integerrimis, dilute purpureis.

Stamina: filamenta decem basi coalita: antheræ totidem, parvæ.

Germen globosum: stylus pyramidalis: stigmata quinque.

Fructus: capsulæ ovatæ, monospermæ, glabræ, arista brevi terminatæ. Semina rufescentia, ovata.

Habitat in Europæ locis montosis et umbrosis. \odot . V. S. Communicatum a D. Thouin.

Hæc species abunde distinguitur a *G. Caroliniano* calycibus transversim rugosis, capsulis glabris, ac floribus minime corymbosis.

Explic. fig. a Calyx auctus.

300. GERANIUM ROTUNDFOLIUM. Lin. (Tab. XCIII. f. 2.)

G. Caule prostrato: foliis oppositis, inferioribus subrotundis semiquinque

- partitis, superioribus subcuneatis; petalis integerrimis, calyce paulo longioribus.
- G. Pedunculis bifloris; petalis subintegris longitudine calycis, caule prostrato, foliis reniformibus incis. *Lin. Sp. pl. n.º. 62. Burm. Ger. n.º. 20.*
- G. Folio malvæ rotundo. *Bauh. pin. 318. Tournef. inst. 268. Vaill. Bot. Par. part. 2. (non vero synon. a Linnæo adduct.) Quer et Ortega, Flora Hisp. tom. 6. n.º. 3. Lamarck, Flore Franç. 672. n.º. X.*
- G. Viscidum caule decumbente, foliis semiquinquelobis tridentatis, et quinquelobatis. *Hall. Helv. 941.*
- G. Pedunculis bifloris, foliis subrotundis multifidis, caule procumbente. *Hort. Cliff. 344. n.º. 9.*
- Radix teres, perpendicularis, ramosa.
- Caules procumbentes, nonnihil viscosi et villosi, sæpe prostrati, ramosi, ad bifurcationes rubescentes, incrassati, pedales.
- Folia opposita, petiolata, petiolis breviora: inferiora subrotunda, semipartita in quinque, aliquando in septem lobos 3-5fidos, obtusos: superiora semiquinque partita, limbo semicirculum mentiente, basi in cunei formam contracta: omnia villosa, viscosa. Stripulæ acutæ, rubentes, deciduæ, breves.
- Flores in pedunculis alternis, axillaribus: pedicelli partiales, fructiferi deflexo-erecti.
- Calyx ovatus ex quinque foliolis basi coalitis, ovato-acutis, aristatis, villosis. Striæ decem.
- Corolla campanulato-hians, calyce paulo major, purpurascens petalorum unguibus cum striis viridibus. Glandulæ quinque.
- Stamina: filamenta decem, in urceolum coalita: antheræ totidem flavescens.
- Germen parvum: stylus pyramidalis viridis: stigmata dilute purpurea.
- Reliqua ut in precedenti.
- Habitat passim in cultis Europæ. ☉. V. V. floret junio et julio. Colitur in R. H. P.*
- Expl. fig. e Flos magnitudine naturali. f Petalum. g Germen auctum. E Flos auctus. F Fructus.

301. GERANIUM ROBERTIANUM. *Lin. (Tab. LXXXVI. f. 1.)*

- G. Foliis ternatis, pinnatis, incis: calycibus rubris decem striatis, pilosis.
- G. Pedunculis bifloris, calycibus pilosis, decemangulatis. *Lin. Sp. pl. n.º. 55. Burm. Ger. 18. Buillard. figura perfecta.*
- G. Pedunculis bifloris, foliis quinque, trivepartitis, lobis pinnatifidis, calycibus hirsutis. *Hort. Cliff. 344. n.º. 8.*
- G. Robertianum viride et rubens. *Bauh. pin. 319. Tournef. inst. 268. Lamarck, Flore Franç. 672. n.º. VII. Quer et Ortega, tom. 6. n.º. 1.*
- G. Robertianum. *Dodon. pempt. 62. figurat. Lobel 657. t. 804.*
- G. Foliis duplicato-pinnatis, pinnis ultimis confluentibus, calycibus striatis, hirsutis. *Hall. Helv. n.º. 943.*
- Caulis teres, rubescens, villosus, pedalis, et amplius.

- Folia opposita , petiolata , ternata , foliolis pinnatis , pinnulis obtusis , aristula minima terminatis. Stipulæ breves , acutæ , basi latæ.
- Flores axillares pedunculati , pedunculis supra bifurcatis , bifloris.
- Calyx ventricosus-acutus , pilosus , profunde partitus in quinque laciniis ovato-acutas , aristatas. Striæ decem more congenerum.
- Corolla hypocrateriformis , rubra vel alba , petalis apice rotundatis integerrimis ; unguibus tubum formantibus , basi urceoli affixis inter tot glandulas virides , parvas.
- Stamina : filamenta decem basi plana , latiora ac tandem in urceolum coalita : antheræ totidem minimæ.
- Germen parvum : stylus longitudine staminum : stigmata rubra conniventia.
- Fructus : capsulæ quinque in orbem circa pyramidis basim positæ , monospermæ , ovatæ , insculptæ , capillis duobus longis terminatæ , quibus ex acu pyramidalis pendent. Semina fusca , ovata.
- Habitat in Europæ rupibus , et juxta muros vulgatissimum. ♂. V. floridum a mense maio usque ad octob. Colitur in R. H. P.*
- Obs. *Tota planta odorem hircosum spirat.*
- Explicatio figuræ. a Fructus dehiscens magnitudine naturali. b Capsula aucta. c Radix.

302. GERANIUM PALMATUM. (Tab. LXXXIV. fig. 2.)

- G. Caule dichotomo , internodis aphyllis longissimis : foliis radicalibus palmatis , lobis pinnatis ; superioribus hastato-trilobis.
- Tota planta glaberrima , inodora.
- Ex radice crassa caulis assurgit brevissimus , qui vetustate et foliorum lapsu augetur , digitum crassus , succulentus ; ex quo cauliculi , aut , si mavis , rami prodeunt bipedales internodis longissimis aphyllis.
- Folia radicalia et quæ in trunco reperiuntur sunt numerosa , subpeltato-palmata , quinquelobata , lobis pinnatis , pinnulis incisus , crenulisque in aristam brevissimam terminatis ; petioli foliis longiores , pedales , crassi , rubri , declinati : stipulæque sunt membranaceæ , rubescentes , reniformes , pollicis diametri.
- Folia superiora opposita , sensim brevius petiolata , subhastato-triloba : lobis pinnatis , acutis , medio longiore ; cujus stipulæ , utrimque binæ , sunt breves , ovatæ , concavæ.
- Flores in dichotomia et summis ramis , pedunculati ; pedunculis erectis , bifloris : involucrum tetraphyllum , foliolis ovatis , brevibus.
- Calyx ovatus , profunde partitus in quinque foliola ovata , aristata. Striæ decem.
- Corolla dilute cœrulea , patens , sesquipollicaris , petalis integerrimis.
- Stamina : urceolus albus germen cingens , apice partitus in decem filamenta purpurea , corollâ breviora , in fasciculum deflexa : antheræ totidem lutescentes.
- Germen pentagonum : stylus pyramidalis , saturate coccineus , longus : stigmata quinque , initio conniventia , dehin separata.
- Fructus : capsulæ quinque glabræ , supra calycem patulum , staminibus decem exsiccatis cancellatæ ; suntque ovatæ , aristaque pollicari terminatæ , quæ

fructu maturo in spiram versus apicem involvitur. Semina solitaria, oblongo-ovata, nigra, glaberrima.

Habitat *H.* *Habui floridum mensibus junio, julio et augusto. Colitur in R. H. P.*

Facillime multiplicatur tum seminibus, tum et promptius ramulo tenero terra infixo.

Explicatio fig. g. Flos integer. h Petalum. i Calycis foliolum separatum. k Germen, stylus, stigmata. o Fructus. s Semen. S Stipula.

303. GERANIUM GRUINUM. *Lin.* (Tab. LXXXVIII. f. 2.)

G. Caule crasso, herbaceo, erecto, piloso: foliis radicalibus cordatis, ovatis, indivisis: caulinis oppositis subternatis, media longissima: floribus pentandris, sæpissime binis.

G. Pedunculis submultifloris, floribus pentandris, foliis ternatis lobatis. *Lin. Sp. pl. n.º. 39.*

G. Pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, floribus pentandris, foliis pinnatis, acutis, sinuatis. *Burm. Ger. 32.*

G. Pedunculis multifloris pentandris. *Hort. Cliff. 498.*

G. Pedunculis bifloris pentandris, radice annua. *Roy, Lugd. 352. n.º. 14.*

G. Speciosum annuum, longissimis rostris creticum. *I. Bauh. hist. 3. p. 479.*

G. Latifolium longissima acu. *Bauh. pin. 319. Tournef. inst. 269. Quer et Ortega, Flor. Hisp. n.º. X.*

G. Creticum annuum hæmatodes. *Lob. Icon. 662.*

Radix descendens albicans, fibris aliquot.

Caulis crassus, herbaceus, erectus, pilosus (ut et petioli ac pedunculi), ramosus, ad nodos incrassatus et ruber, vix pedalis.

Folia longe petiolata: duo priora radicalia, cordato-ovata, late crenata; caulina opposita, subternata; horum medium longissimum, acuminatum; duo reliqua breviora, auriculata, omniaque dentato-crenata, incisa. *Stipulae* lanceolatae basi, latiores.

Flores axillares et radicales, pedunculis erectis, crassis, bipartitis, bifloris (quando vero pedunculus multiflorus, quod numquam in meis plantis vivis observavi, sed dumtaxat in siccis, tunc pedunculus terminatur umbella): involucrium triphyllum, acutum, marcescens.

Calyx oblongus, profundissime partitus in quinque lacinias ovato-oblongas; arista terminatas: hic floridus potentissimus, dehinc augetur atque fructui adprimitur. *Striæ* decem protuberantes.

Corolla violacea, campanulato-patens, petalis integerrimis striatis, apice rotundatis, cito deciduis: glandulae carnosae.

Stamina: urceolus brevis germen cingens, in decem denticulos partitus, quorum alterni brevissimi, steriles: reliqui longiores: antherae quinque versatiles, parvae, fuscae, ovatae.

Germen pentagonum villosum: stylus pyramidalis viridis: stigmata quinque albido-rubentia revoluta.

Fructus: capsulae quinque oblongae basi acutae, tomento ferrugineo hispidae; arista tripollicari terminata, quae fructu maturo contorquetur in spiram more

africanorum : atque pilis albis longis instruitur parte aut superficie interna , qui eriguntur contortione aristæ : semina oblonga solitaria , tritici granum magnitudine æquantia.

Habitat in Creta et in Africa septentrionali, atque passim in Hispania, præsertim Catalaunia, Valentia. ☉. *Habui floridum mense junio ex seminibus nuperime adportatis ex Africa a D. Desfontaines. Colitur in R. H. P.*

- Obs. I. *Quamquam in herb. D. Isnardi plantam hanc viderim uno aut altero pedunculo multifloro ; quia tamen ea frequentius ornatur pedunculis bifloris , quinimo et nonnunquam unifloris , sicque crevit in horto exc. ducis ab Infanzado , eam delineavi magnitudine naturali , qualemque observavi sæpissime in dicto horto et in R. Parisiensi. Botanicorum nullus , quod sciam , accuratam hucusque dedit iconem hujus plantæ , et ex diversis eorum descriptionibus non unicam sed plures species efformare initio reputabam ; quare hanc meam designavi in tabula Geraniorum analytica nomine G. MACROCARPOS , frustra quærens GERANIUM GRUINUM , quoadusque ditissimum Isnardi herbarium evolvens , innumera fragmenta reperi atque citationes auctorum veterum , quibus suffultus et characteres debitos et veram plantam Botanicis offero.*
- II. *Hæc species et due sequentes, quamquam aliquando pedunculis ornantur multifloris , quia tamen frequentius observantur pedunculis bifloris , ad calcem hujus divisionis prodeunt , ut G. Sibirico evenit , quod ultimum est primæ divisionis quamquam sæpe biflorum.*

304. GERANIUM BOTRYS. (Tab. XC. f. 2.)

G. Caule supino : foliis cordatis , oblongis , sinuato - pinnatifidis , hirsutis : fructibus longis , erectis.

G. Supinum , botrys folio ; acu sursum spectante. *Bocc. Mus. parte 2. p. 145. tab. 109. Quer et Ortega, Flor. Hisp. vol. 6. pag. 163. n.º. XVIII.*

G. Maritimum annuum laciniatum , acu longissimâ. *Tourn. inst. 269.*

Tota planta pilis hirta.

Ex eadem radice parva , fibrosa , folia prodeunt numerosa , et caules supini ; spithamei , dichotomi.

Folia radicalia longe petiolata , cordata , oblonga , sinuato-pinnatifida : caulina opposita , pinnulis angustioribus. Stipulæ breves , scariosæ.

Flores axillares , et terminales , pedunculis sesquipollicaribus , erectis , bifloris.

Calyx oblongus , profunde partitus in quinque lacinias lanceolatas , arista terminatas. Striæ decem.

Corolla calyce major , purpurascens.

Stamina ac reliqua , incerta omnia in exemplari sicco , at ex analogia desumta ex capsularum forma erunt ut in præcedenti.

Fructus intra calycem auctum : acus versus cœlum erecta : capsulæ quinque , monospermæ , oblongæ , basi acutissimæ , tomentosæ , arista sesquipollicari barbata terminatæ , quæ fructu maturo in funem aut spiram contorquetur.

Habitat passim in arenosis prope mare Hispanicum et Lusitanicum , atque in pratis Neapolitanis. V. S. communic. a D. de Jussieu.

305 GERANIUM MARITIMUM. *Lin.* (Tab. LXXXVIII. f. 1.)

- G. Caule procumbente : foliis cordatis , ovatis , crenatis , incis , scabris ; floribus parvis , pentandris : pedunculis raro trifloris.
- G. Pedunculis subtrifloris pentandris ; foliis cordatis , incis , crenatis , scabris ; caulibus depressis. *Lin. Sp. pl. n^o. 36.*
- G. Pedunculis bifloris ; foliis ovatis , hirsutis , crenato-incis , obtus ; caulibus procumbentibus. *Roy. Lugd. 451.*
- G. Minimum anglicum procumbens , betonicae folio. *Moris. hist. 2. sect. 5. tab. 35, fig. 10.*
- G. Pusillum supinum , maritimum althææ , vel betonicae folio. *Rai. hist. 1056. Pluk. phyt. t. 31. f. 4. Tournef. inst. 268.*
- Caules herbacei , bifurcati ad nodos , graciles , procumbentes , quandoque pedales , villosos-scabri ut et tota planta.
- Folia parva , longissime petiolata , fere semper opposita , tuncque foliorum aliud brevius petiolatum , cordata , subovata , crenato-incisa , hirsuta. Stipulae scariosæ , subovato-acutæ.
- Flores axillares , pedunculati ; pedunculis petiolo nunc brevioribus , nunc longioribus , bifloris , raro trifloris : involucrum breve tetraphyllum : pedicelli capillares.
- Calyx parvus , profundissime partitus in quinque lacinas oblongiusculas , arista brevi terminatas.
- Corollæ petala integra (sæpe deficiunt , dixit Linn.)
- Stamina : urceolus germen cingens in decem dentes terminatus , alternis longioribus antheriferis : antheræ quinque parvæ.
- Fructus : capsulae quinque , subtomentosæ , basi acutæ ; parte vero superiore terminatæ arista vix trium linearum , angusta , acutissima , quæ in spiram contorquetur.
- Habitat in Angliæ et Gallo-Belgiæ maritimis. V. S. Communicatum a D. de Jussieu.*
- Obs. Hæc species diversa est ab illa quam Burmanus dixit G. maritimum , quæ in hoc opere reperitur nomine G. littorei.*

§. III. PEDUNCULI MULTIFLORI.

A. Folia subintegra aut lobata.

306. GERANIUM CRASSIFOLIUM. *Boccon. (Tab. XC. fig. 1.)*

- G. Caule humifuso : foliis cordatis , subrotundis , rugosis , crassis : floribus umbellatis parvis.
- G. Malacoides supinum lato , rotundo , crasso , rugoso , integro folio , acubrevissima carinense. *Bocc. Mus. parte 2. pag. 109. t. 89. Tourn. 268.*
- Caules prostrati , semipedales.
- Folia radicalia numerosa ; stipulis ovato-acutis distincta , longe petiolata , cordata , subrotunda , crassa , rugosa , indivisa.
- Flores rosei , parvi , umbellati in scapis radicalibus et axillaribus : umbellis paucifloris.
- Fructus acu brevissima terminatus.

Habitat in Sicilia circa montosa Carinensia. Nullibi hanc plantam vidi nisi figuratam et descriptam ab auctore supra citato, qui dixit folia esse magna et rugosa.

307 GERANIUM MALACOIDES. *Lin.* (Tab. XCI. fig. 1.)

G. Caule herbaceo : foliis oppositis, cordatis, subovatis, lobatis, crenatis : floribus umbellatis parvis.

G. Pedunculis multifloris : floribus pentandris : foliis cordatis, sublobatis. *Lin. Sp. pl. n.º. 35. Hort. Cliff. n.º. 11, ubi dicitur foliis laciniatis. Burm. Ger. n.º. 34.*

G. Folio althææ. *Morison t. 15. fig. 5. (notata 7.) mala. Bauh. pin. 318. Tourn. inst. 268. Lamarck, Flore Franç. 672. n.º. XXIX. Quer et Ortega, Flor. Hisp. tom. 6. n.º. IX.*

G. Malacoides. *Lobel 662. t. 808.*

Caules herbacei, villosi, ut et tota planta, pedales, ramosi.

Folia radicalia numerosa, in orbem prostrata, magna, longissime petiolata : caulina multo minora, opposita petiolo altero breviora : atque omnia cordata, oblongiuscula, lobata, crenata : stipulæ utrimque binæ, basi latæ, apice acutæ, transparentes, marcescentes.

Flores umbellati : pedunculus communis alternatim axillaris, solitarius, petiolo longior : involucrium breve, multifidum, marcescens.

Calyx parvus, globosus, profundissime partitus in quinque lacinias, concavas, ovatas, aristatas. Striæ decem.

Corolla cœrulea, calyce paulo major, petalis ovatis, integerrimis, unguibus angustis : glandulæ quinque.

Stamina : urceolus germen cingens, in decem filamenta cœrulea terminatus, incrassata ; alterna paulo breviora sterilia : antheræ quinque subovatæ.

Germen parvum, pentagonum : stylus simplex : stigmata quinque in stellam aperta.

Fructus : capsulæ quinque, nigricantes, basi acutissimæ, arista pollicari terminatæ, quæ fructu maturo in funem aut spiram contorquetur. Semina solitaria, parva, subovata.

Habitat in Hispania, Gallia meridionali, Canariensibus insulis. ☉. Floret mensibus junio et julio. V. V. Colitur in R. H. P.

Obs. *Hæc species variat foliis obtusis et acutis, tum etiam (superioribus præsertim) dentatis, quales video in exemplaribus Canariensibus.*

Explicatio figuræ. *a* Corolla aucta cum staminibus. *c* Calyx. *b* Idem magnitudine naturali. *d* Genitalia aucta. *e* Stamina duo, alterum fertile, sterile alterum.

308 GERANIUM HELIOTROPIOIDES (Tab. CXIII. f. 2.)

G. Caule fruticoso minimo : foliis oppositis incanis, subrotundo-ovatis, crenato-dentatis : pedunculis umbelliferis atque aristis longissimis.

Radix unica descendens, sublignosa.

Caulis fruticosus, vix pollicaris.

Folia opposita, petiolis paulo breviora, vix pollicaria, subrotundo-ovata, crenato-dentata, villis candidissimis cooperta. Stipulæ lanceolato-subulatae.
 Flores umbellati: pedunculus communis, 4-5 pollicaris, axillaris: involucrium polyphyllum, foliolis acutissimis: radii subquatuor semipollicares.
 Calyx pentagonus, basi acutus, laciniis ovatis, aristatis.
 Fructus: capsulæ quinque tomentoso-rufescentes: arista tripollicaris, pilis innumeris rufis ut in *G. glaucophyllo*.
Habitat in Africa. ¶? V. S. Communicatum a D. Paulo Usteri.

309 GERANIUM GLAUCOPHYLLUM. *Lin.* (Tab. XCII. f. 2.)

G. Caule herbaceo: foliis ovatis, serrato-crenatis, carnosis: floribus umbellatis: rostris longissimis, coma aurea nitentibus.
G. Pedunculis multifloris, floribus pentandris; foliis ovatis, serratis, incanis, lineatis. *Lin. Sp. pl. n.º. 37.*
G. Calycibus monophyllis, foliis cordato-ovatis, crenatis, petiolo brevioribus: caule herbaceo. *Burm. Ger. n.º. 56.*
G. Ægypticum glaucophyllum, rostris longissimis plumosis. *Dill. Hort. Elth. t. 124. f. 150.*
G. Memphiticum althææ folio glauco. *D. Lippi apud herb. Isnard.*
 Radix teres, oblonga, parum fibrosa, intus alba, edulis.
 Caulis herbaceus, teres, ramosus.
 Folia glauca, carnosa, opposita, ovata, crenato-dentata, dentibus aliquando magnis. Stipulæ breves, acuminatæ.
 Flores umbellati: pedunculus communis axillaris, foliis longior: involucrium brevissimum, quinquefidum: radii subquinque vix pollicares.
 Calyx ovato-oblongus, profunde partitus in quinque foliola carinata, aristata. Striæ decem.
 Corolla campanulata, cito decidens, purpurea, petalis subovatis, ad unguem striæ saturatiores: glandulæ quinque.
 Stamina: urceolus albicans, in decem filamenta partitus, alternis brevioribus, sterilibus. Antheræ quinque rubescentes.
 Germen pentagonum: stylus pyramidalis: stigmata fusca.
 Fructus: capsulæ quinque monospermæ, subtomentosæ, basi acutæ, apice vero terminatæ arista tripollicari angustissima, coma splendente numerosa ornata.
Habitat in Ægypto prope Memphim. Habui floridum junio et julio. Col. in R. H. P. ☉.
 Expl. fig. *d* Petalum. *e* Capsula cum arista. *f* Semen. *R* Radicis portio.

310 GERANIUM CHIUM. *Lin.* (Tab. XCII. f. 1.)

G. Caule herbaceo erecto: foliis oppositis cordatis incis: superioribus trilobatis, lobis pinnatifidis.
G. Pedunculis multifloris, floribus pentandris; foliis cordatis incis: superioribus lyrato-pinnatifidis. *Lin. Sp. pl. n.º. 34.*
G. Pedunculis multifloris; calycibus pentaphyllis; foliis cordato-incis, superioribus multifidis. *Burm. Ger. n.º. 37.*

G. Vernum, Chium, folio caryophyllata. *Tournef. cor. 20.*

Cotyledones cordati emarginati.

Caulis herbacei, glaberrimi, articulis aut nodis distincti, ramosi, pedales.

Folia opposita, petiolis subæqualia, cordata: inferiora lobato-incisa, crenata: superiora profundius lobata, lobis pinnatifidis, læte viridia. Stipulæ breves, basi latiores.

Flores umbellati. Pedunculus communis, axillaris, petiolo longior: involucrium subsexfidum: radii sæpe sex, semiunciales.

Calyx ovatus, laciniis profundissimis, striatis, ovato-concavis, aristatis.

Corolla patens, dilute cœrulea, cito decidens, petalis ovatis. Glandulæ quinque.

Stamina: urceolus albus, decemdentatus; dentibus quinque alternatim obtusis, sterilibus: reliquis antheriferis: antheræ purpurascentes.

Germen minimum, pentagonum: stylus pyramidalis: stigmata dilute rubra, revoluta.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, subtomentosæ, basi acutæ: arista sesquipollicaris. Semina oblongiuscula.

Habitat in Chio. ☉. *Habui floridum mensibus junio et julio. Colitur in R. H. P.*

Explic. fig. a Cotyledones. b Petalum.

311 GERANIUM LITTOREUM.

Geranium (maritimum), calycibus monophyllis, foliis cordato-ovatis, subtrilobis, crenatis, caule nullo. *Burm. Ger. n.º. 60.*

G. Monomotapense malvæ folio laciniato, inodorum, maritimum, procumbens, non descriptum. *Herb. Oldenl.*

G. Maritimum procumbens, malvæ folio laciniato, inodorum. *Cod. ms. Oldenl.*

a. G. Monomotapense maritimum foliis sinuatis et crenatis, rugosis, floribus ex dilute rubro in violaceum vergentibus. *Herb. Oldenl.*

β. G. Humile malvæ folio subrotundo, crenato, flosculis purpureis. *Herb. Oldenl.*

Planta acaulos, annua. Radix tenuis, lignoso-fibrosa, descendens.

Folia circa radicem expansa, prostrata, longe petiolata, cordato-ovata, in prima subtriloba; lacinia media maxima, crenata, pallida, rugosa.

a. Folia profundius dissecta, foliola pinnato-incisa, crassa, glauca.

β. Folia longius petiolata, sinuosa, subrotundo-cordata, crenata, glabra, vix lobata. Caulis in binis prioribus nulli, in tertia tenuissimi, breves, filiformes. Scapus in prima et in secunda petiolis brevior, ex radice; in tertia longior, qui et ex radice summa, et cauliculi media parte. Flores tres vel quatuor, in secunda sex, singulo insident pedunculo, quorum corollæ pusillæ, purpureæ; calyces monophylli; rostra brevia, tenuia.

Planta mihi ignota; quæ præcedunt ex Burmani opere transcripsi.

312 GERANIUM ARDUINUM. *Lin.*

G. Pedunculis multifloris; floribus pentandris; foliis cordatis, quinquelobis, scapis radicalibus. *Lin. Sp. pl. n.º. 38.*

Folia cordata, quinquelobata, crenata, obtusa, subtus scabra. Scapi radicales; caules nulli.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. 17. Ex Linnæo.

313. GERANIUM INCARNATUM. *Lin. sup.* (Tab. XCI. f. 2.)

G. Foliis incis, subquinquelobatis, punctatis, parvis; petiolis longissimis; pedunculis trifloris.

G. Pedunculis bifloris; foliis tripartitis, trifidis, glabris; petalis integris; arillis glabris. *Lin. supp.* 306.

Caulis duriusculus, vix pedalis, gracilis, glaber.

Folia alterna, longissime petiolata, parva, subquinque lobata, dentata, utrimque punctata. Stipulæ lanceolatæ, acutissimæ.

Flores umbellati: pedunculus communis solitarius, oppositifolius, sesquipollicaris usque ad involucrium, hocque ex quinque setulis compositum; radii tres, capillares, sesquipollicares, uniflori.

Calyx oblongus, profundissime partitus in quinque lacinias, lanceolatas, acutas.

Corolla incarnata, petalis æqualibus, ovato-oblongis, integerrimis.

Stamina: urceolus brevis germen cingens, in decem filamenta breviter partitus, alterna breviora, sterilia. Antheræ quinque ovatæ.

Germen minimum, pentagonum. Stylus corolla brevior: stigmata quinque.

Fructus..... deerat in exemplari: at certo certius erunt capsulæ quinque basi acutæ, arista tortili, barbata, terminatæ.

Habitat ad Caput Bonæ Spei in Hottentots Hollands Kloof. Floret mense decembris. V. S. communicatum a D. Thunberg.

Explicatio figuræ. *f* Flos integer. *g* Petalum. *h* Staminum urceolus sectus. *k* Germen, stylus, stigmata.

314. GERANIUM TRIFOLIUM. (Tab. XCVII. f. 3.)

G. Caule herbaceo, crasso, ramoso: foliis radicalibus ternatis, lobatis; caulinis oppositis, simplicibus lobatis: petalis venosis, superioribus maculatis.

Caulis teres, articulatus, ramosus, pilis brevibus obsitus, sesquipedalis.

Folia radicalia numerosa, longe petiolata, petiolis crassis, erectis, subtus obtusis, desuper plano canaliculatis, qui versus apicem in tres dividuntur, totidem foliola sustentantes, medio majori: hæc sunt cordata, quinque vel septem lobata, nonnihil cucullata, crenata, villosa: caulina opposita simplicia, petiolis breviora. Stipulæ scariosæ, ovatæ, marcescentes, utrimque binæ.

Flores umbellati, axillares (at radicales, quum planta est junior); pedunculus communis, folio longior: involucrium multifidum scariosum: radii subseptem initio erecti, fructiferi recurvato-erecti.

Calyx ovatus, ex quinque foliolis ovatis, submuticis.

Corolla calyce dupla, albicans, patens; petalorum duo superiora paulo latiora atque prope unguem maculata: maculis efformatis ex punctis cinereo-rubris: inferioribus tribus immaculatis, omnibus tamen rotundatis atque venis purpureis variegatis. Glandulæ quinque violaceo-rubrae.

Staminum urceolus albicans, decempartitus filamentis alternatim brevioribus sterilibus. Antheræ rubescentes.

Germen parvum pentagonum: stylus simplex: stigmata quinque conniventia. Fructus: capsulæ quinque basi acutissimæ, villosæ, monospermæ, arista pollicari barbata in funem tortili terminatæ.

Habitat in Africa septentrionali, unde adportavit semina D. Desfontaines. V. V. in R. H. P. Floret a mense aprili usque ad septemb. ¶?

Obs. *Quum plantam hanc delineavi mense octobri anni proximi elapsi, folia gerebat radicalia atque scapos floridos, caule vero destituebatur; qua de causa acaulem credidi: hac vero æstate caulem protulit crassum, ramosum. De his itaque lectorem volo monitum, cui figuram trado quæ plantam infantem, ut ita dicam, sinit; adultiorem et provectam dabit alius de Botanica jam multis titulis benemeritus.*

Explic. fig. a Flos expansus magnitudine naturali. b. Urceolus cum filamentis et antheris. e Filamentum auctum. F Fructus.

B. Folia pinnata.

315 GERANIUM PETRÆUM. *Gouan.* (Tab. XCVI. f. 2.)

G. Subacaule: foliis oppositis, numerosis, bipinnatis: scapis axillaribus multifloris.

G. Petræum pedunculis multifloris, floribus pentandris, foliis bipinnatis, foliolis incis, scapis radicalibus. *Gouan. illust. 45. t. 21. f. 1.*

G. Petræum cicutæ folio, radice crassa. *Tournef. inst. 269. Magnol. Monsp. 109. figura parum correctæ: pessimam dixit Gouanus.*

G. Fœtidum. *Park. theat. 709. Lobel illust. 134. Lamarck, Flore Franç. n.º. XXXIV.*

Radix crassa, in cuius summitate exerta (quæ vix pollicaris est et pro caule brevissimo sumi potest) bi- aut trifida folia prodeunt numerosissima, imbricatim opposita, longe petiolata, petiolis villosis, bipinnata, pinnulis sæpè oppositis, foliolis incis. Stipulæ breves, basi latæ, apice acuminatæ.

Flores umbellati: scapi axillares et veluti radicales, folio longiores: involucrium monophyllum profunde 5-6partitum, laciniis acutis, villosis, Radii vix pollicares, subquinque.

Calyx ex quinque foliolis ovatis, concavis, acuminatis, patentissimis.

Corolla campanulato-patens: petalis subrotundis, dilute violaceis, striis saturatioribus; glandulæ quinque virides.

Stamina; urceolus viridis in decem filamenta partitus, quorum quinque alterna breviora sterilia. Antheræ ovatæ, sulcatæ, rubentes, versatiles.

Germen pentagonum: stylus pyramidalis: stigmata quinque.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, basi acutissimæ, villosæ, apice vero terminatæ arista in funem tortili.

Habitat in Gallia meridionali ad radicem montis Sancti-Lupi. ¶. Floret a mense maio usque ad oct. Col. in R. H. P.

Obs. I. *Lobelius dixit radicem hujus plantæ esse valde fœtidam, ex qua nonnumquam cauliculi prodeunt, quod cum Magnolii icone convenire videtur.*

II. *Differt hæc planta a sequenti: 1º. fœtore radicis; 2º. foliis nec canescentibus neque grate olentibus; 3º. pedunculis quinquefloris.*

Explic. fig. a Genitalia. b Urceolus sectus.

316. GERANIUM RUPESTRE. *Pourret.* (Tab. ~~XX.~~ *XC.* fig. 1)

G. Radice crassa lignosa: foliis bipinnatis, desuper tomento - canescentibus, inodoris; scapis bi-trifloris.

G. Hispanicum magna radice, cicutæ folio crassiori. *Tournef. inst.* 269. *Schol. Bot.*

Radix lignosa, crassa, nigricans, brachiata.

Folia longe petiolata, radicalia, inodora, bipinnata; pinnulis principalibus alternis, foliolis ovato-lanceolatis minimis, pagina superiori canis. Stipulæ ad basim petioli bifurcatæ.

Flores in scapis radicalibus, spithameis, bi-trifloris (plerumque bi-floris): involucrem ex quinque setulis.

Calyx ovatus, profundissime partitus in quinque lacinias latiusculas, aristatas: striæ decem.

Corolla patens, petalis dilute purpureis, lineis saturatoribus.

Reliqua ut in præcedenti, cui affine.

Habitat inter saxa montis Serrati prope Barcinonem in Hispania. H. Floret mense julio. V. siccum communicatum a D. Broussonet.

Obs. *In herb. D. de Jussieu exstat exemplar valde villosum.*

317 GERANIUM ROMANUM. *Linn.* (Tab. XCIV. f. 2.)

G. Acaule: foliis bipinnatis, hirsutis: scapis radicalibus multifloris.

G. Pedunculis multifloris, floribus pentandris, foliis pinnatis incisissimis, scapis radicalibus. *Lin. Sp. pl. nº. 41.*

G. Pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, floribus pentandris, foliis pinnato-incisissimis, foliolis acutis, rugosis, caule nullo. *Burm. Ger. nº. 30.*

G. Myrrhinum tenuifolium, amplo flore purpureo. *Bar. ic. 1245. Obs. 568.* Caulis nullus.

Folia radicalia, numerosa, inferne nuda, deſin bipinnata cum impari, pinnulis subovato-acuminatis, foliolis acutis, hirsutis, ut et tota planta. Stipulæ foliorum radicibus immixtæ, ovato-acuminatæ.

Flores umbellati in scapis radicalibus semipedalibus et ultra: involucrem polyphyllum apicibus acutis: radii subsex, semipollicares.

Calyx pentaphyllus, foliolis concavis, ovatis, aristatis. Striæ decem.

Corolla purpurascens, calyce triplo longior, petalis immaculatis, apice rotundatis.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in Romæ plateis. H. V. S. apud D. de Lamarck.

Obs. *Gerania Romanum, cicutarium, chærophyllosum, et moschatum, valde affinia sunt: verumtamen distinguuntur in eo quod Romanum sit acaule; cicutarium*

caulescens, at caulibus prostratis; charophyllum caulescens; erectus, folia cotyledonia habens triloba; et moschatum horum maximum, moschum redolens, atque cotyledonibus pinnatifidis.

318 GERANIUM CICUTARIUM. *Lin.* (Tab. XCIII. fig. 1.)

- G. Caule ramoso, prostrato; foliis pinnatis; pinnulis subovatis.
 G. Pedunculis multifloris; floribus pentandris; foliis pinnatis, incis, obtusis; caule ramoso. *Lin. Sp. pl. n.º. 42. Hort. Cliff. 344. n.º. 10.* (ubi dixit foliis duplicato pinnatis.)
 G. Pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, floribus pentandris, foliis pinnatis, incis, obtusis. *Burm. Ger. n.º. 33.*
 G. Cicutæ folium minus et supinum. *Bauh. pin. 319. Tournef. inst. 269. Lamarck, Flore Franç. n.º. XXXIII. Quer et Ortega, Flor. Hisp. tomo VI. n.º. 7. et 8.*
 G. Supinum. *Dod. pempt. 63.*

Radix ramosa albicans.

Caules omnino prostrati, ramosi, pilis aliquot.

Folia radicalia numerosa, prostrata, glabriuscula, initio nuda, dehinc pinnata; pinnulis raro oppositis, subsessilibus, ovato-lanceolatis, incis: caulina opposita. Stipulæ ovatæ, scariosæ.

Flores umbellati in pedunculis radicalibus et axillaribus, folio longioribus: involucrum monophyllum, subquinquefidum.

Calyx ovatus, pilosus, profundissime partitus, in quinque foliola oblonga, aristata. Striæ decem.

Corolla dilute purpurea; petalis vix calyce longioribus, integerrimis, ad quorum unguis striæ tres saturatiores. Glandulæ quinque.

Stamina: urceolus decemfidus, filamentis purpureis, alternis brevioribus, sterilibus. Antheræ quinque ovatæ, violaceæ.

Reliqua ut in præcedentibus: at stigmata albicantia.

Habitat in Europæ sterilibus. ¶ Floret a mense maio usque ad octob. V. V. passim. Colitur in R. H. P.

Obs. *Hæc species cultura mirum in modum crescit: folia enim habui sesquipedalia; at caules sunt illi semper prostrati.*

Explic. fig. a Genitalia. b Calyx. c Corolla, omnia aucta. D Fructus magnitudine naturali.

319 GERANIUM CHAROPHYLLUM. (Tab. XCV. fig. 1.)

G. Caule erecto-decumbente: foliis oppositis, pinnatis, incis; pedunculis elongatis multifloris: cotyledonibus trilobis.

G. Robertianum. *Riv. pen. t. 112.*

G. Cicutæ folio erectum Romanum. *Boccon. Mus. parte 2. p. 93. f. 82. Tourn. ins. 269.*

G. Caule procumbente, petiolis multifloris, foliis duplicato-pinnatis, pinnis acute incis. *Hall. Helv. 944.*

G. Fœtidum. *Isnard. herb.*

Cotyledones cordati, oblongi, trilobi, obtusi.

Caulis erecto-decumbens, herbaceus, ramosus, pubescens, geniculis valde incrassatis.

Folia opposita, longissime petiolata, bipinnata, pinnulis acutis. Stipulæ ovato-acuminatæ, marcescentes.

Flores umbellati; pedunculus communis axillaris, solitarius, erectus, longissimus: involucrium pellicula septemfida, laciniis acutis, revolutis. Radii subsex, pollicares, in initio erecti; fructiferi declinati, fructibus erectis.

Calyx profunde partitus in quinque foliola oblongo-ovata, cuspidate setosâ terminata, hæcque pilis duobus, sæpe deciduis. Striæ decem.

Corolla calyce paulo major, dilute cœrulea; petalis orbiculatis, integerrimis: glandulæ fuscæ.

Reliqua ut in præcedenti: aristæ capsularum sesquipollicares, barbata.

Habitat in agris prope Parisios. Habui floridum per integrum fere annum. ☉.

Fructum peragit diebus fere quindecim.

Obs. Cl. Linnæus hanc speciem cum præcedenti conjunxit. Aptius hoc nomen reputo quam illud scilicet Ger. trilobum, quod in tabula analytica reperitur ad calcem tertiæ dissertationis.

Explicatio fig. A Cotyledones. a Calyx. b Petalum. c Urceolus cum staminibus. d Capsula cum arista. e Semen. f Umbella fructifera, fructusque dehiscentes.

320 GERANIUM MOSCHATUM. Lin. (Tab. XCIV. f. 1.)

G. Caule procumbente: foliis pinnatis, pinnulis ovatis incisis; cotyledonibus pinnatifidis: floribus umbellatis.

G. Pedunculis multifloris: floribus pentandris: foliis pinnatis, incisis; cotyledonibus pinnatifidis. Lin. Sp. pl. n.º. 33. Burm. Ger. n.º. 29.

G. Cicutæ folio moschatum. Bauh. pin. 319. Tournef. inst. 268. Quer et Ortega, Flor. Hisp. tomo 6. n.º. IV.

G. Moschatum. Riv. pent. irreg. tab. 112. Jacq. hort. t. 55.

Myrrhina Plinii, rostrum ciconiæ, seu acus moschata officinarum et pastoris. Lob. Ic. p. 658.

G. Petiolis multifloris, caule diffuso, foliis ovatis pinnatifidis. Hall. Hely. n.º. 945.

Geranias rudericola pentandra, corollis calyce vix majoribus, foliis pinnatis, pinnulis inciso-crenatis. Commers. herb. Bonariense.

G. Pimpinelloides. Comm. ibid.

Caules striati, procumbentes, pubescentes ut et tota planta, pedales et ultra.

Folia opposita, alterum altero longius, petiolata, pinnata; pinnulis alternis, ovatis, inciso-crenatis, 5. 6. 7. utrimque præter impari terminalem sæpius tripartitam. Stipulæ ad basim petiolorum subamplexicaules, membranaceæ, emarcidæ.

Flores axillares ad petiolum breviorum, in pedunculis longissimis, umbelliferis. Involucrium breve, multifidum, scariosum: radii subdecem, pollicares.

Calyx pentaphyllus, foliolis concavis, ovatis, aristatis, patentibus.

- Corolla purpurascens, petalis apice rotundatis, vix calyce longioribus.
 Stamina: urceolus germen cingens, decemdentatus; denticulis alternis brevioribus, sterilibus. Anthera quinque.
 Germen, stylus, stigmata, ut in præcedentibus.
 Fructus: capsulæ quinque tomentosæ, basi acutissimæ, apice terminatæ arista sesquipollicari in funem tortili. Semina solitaria oblongiuscula.
Habitat in Helvetia, Sibiria, Carniola, Buenos-Ayres, Peru, et ad Cap. Bonæ Spei. V. S. Communicatum a DD. Thouin et Dombey. Floret Augusto et sept. in America meridionali.
 Obs. I. *Hujus speciei cotyledones sunt pinnatifidi, testibus Linneo, Burmano, et Jacquino, qui sic etiam depinxit tabula supra citata.*
 II. *Commerstonii accurata descriptio quam de planta bonariensi dedit in manuscriptis, omnino convenit cum hac mea: exemplaria tamen ab ipso desiccata, quæ vidi, foliis instruuntur pedem et amplius longis, atque pinnulis pollicaribus.*
 III. *Haller dixit loco supra citato hujusmodi speciem staminibus ornari decem, quod, nisi alterna castrata fuerint, observationi contrarium est. Numquam enim Geranium vidi, cui flores fuerint regulares ac pedunculi multiflori, quod non item pentandrum observaverim.*

321 GERANIUM LACINIATUM. (Tab. CXIII. f. 3.)

- folia inferiora integra.*
 G. Caule herbaceo: foliis oppositis profundissime trifidis, laciniis pinnatis, linearibus: pedunculis elongatis umbelliferis, acu longissima.
 Caulis herbaceus, sulcatus, ramosus, plusquam pedalis.
 Folia opposita, petiolis longiora, usque ad petiolum fere partita in tres lacinias pinnatas, pinnulis linearibus cum acumine. Stipulæ scariosæ, latiusculæ.
 Florum pedunculus communis alternando axillaris, folio longior. Involucrum scariosum multifidum: radii sex aut plures, semipollicares.
 Calyx ovatus ex quinque foliolis ovatis, aristatis: striæ decem.
 Corolla calyce paulo major albido-cærulea, petalis æqualibus. (Glandulas observare non potui in sicco, at quinque fuisse nullus dubito.)
 Fructus: capsulæ quinque acutæ, rufescentes. Arista bipollicaris in funem tortilis. *in Mauritania.*
Habitat . . . V. S. Communicatum a D. de Jussieu.

322. GERANIUM CICONIUM. Lin. (Tab. XCV. f. a.)

- G. Caule herbaceo reclinato: foliis pinnatis, pinnulis incis: petalis duobus superioribus latioribus.
 G. Pedunculis multifloris, floribus pentandris, foliis pinnatis, pinnatifidis, obtusis. *Lin. sp. pl. n.º. 40. Aman. acad. 4. p. 282. Burm. Ger. n.º. 28. Iacq. h. t. 18. vol. 1.*
 G. Cicutæfolio acu longissima. *Bauh. pin. 319. Tournef. inst. 268. Lamarck, Flore Franç. 672. n.º. 34. Quer et Ort. Flor. Hisp. to. 6. n.º. 6.*
 G. Chrysanthemum Cretici folio Neapolitanum. *Bocc. part. 2. p. 93. f. 83.*

G. Petiolis multifloris, foliis pinnatis, pinnis latescentibus, dentatis, alternea maximis. *Hall. Helv. n^o. 946.*

G. Apulum coriandrifolium. *Col. ecphr. 1. p. 136.*

Caulis reclinatus, rubescens, hirtus ut et pedunculi et petioli.

Folia radicalia numerosa, in circulum glomerata, longissime petiolata, petiolis initio prostratis, dein erectis, pinnata, pinnulis dentatis, alterne maximis: caulina opposita multo breviora. Stipulæ utrimque binæ, acutæ, basi latiores.

Flores umbellati; pedunculis plurimis radicalibus, atque alternatim axillaribus. Involucrum subquinquefidum, marcescens. Radii 5-7. vix pollicares.

Calyx pentaphyllus, foliolis ovato-oblongis, subcarinatis, arista tereti terminatis. Striæ decem.

Corolla patens, dilute cœrulea, petalis tribus inferioribus oblongo-ovatis, superioribus apice multo latioribus, nonnihil sæpe emarginatis.

Semina solitaria, aut bina.

Reliqua ut in G. Gruino.

Habitat in Gallia, Italia, Hispania. Habui floridum augusto et septembri. ☉. Colitur in R. H. P.

Nota. In figura desunt folia radicalia propter magnitudinem, pedem sæpe superantia.

323. GERANIUM ALPINUM. *Burm. (Tab. XCVI. f. 1.)*

G. Caule herbaceo rubescente: foliis bipinnatis: floribus umbellatis, rubescentibus, rugosis.

G. Alpinum coriandrifolio, longius radicatam, flore purpureo majori. *Michel Hort. Flor. p. 41. n^o. 24. Isnard herb.*

G. Pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, floribus pentandris, foliis pinnatis, foliolis incisissimis et crenatis, radice tuberosa. *Burm. Ger. n^o. 31.*

Caulis rubescens, glaber, pedalis, annuus.

Folia radicalia numerosa, erecta, magna, longissime petiolata, bipinnata, foliolis acutis: caulina opposita petiolis breviora. Stipulæ oblongæ, acutæ, marcescentes.

Flores umbellati; pedunculus communis axillaris, erectus, foliis longior: involucrum profunde quinquefidum, laciniis acutis, marcescentibus: radii sæpe quinque, pollicares.

Calyx profunde partitus in quinque foliola ovato-oblonga, aristata.

Corolla rubescens, patens, petalis ovatis, rugosis: glandulæ quinque.

Stamina: urceolus germen cingens decemdentatus; dentibus alternis subovatis, brevibus, sterilibus; reliquis longioribus. Antheræ ovatae, parvæ.

Germen pentagonum villosum: stylus pyramidalis: stigmata incarnata, recurva.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, utrimque acutæ, tomentoso-rufescentes.

Arista sesquipollicaris.

Habitat in Alpibus. ♄. Habui floridum a mense maio usque ad aug. Colitur in R. H. P.

S E C T I O I I .

COROLLÆ IRREGULARES, CUNICULUS PER PEDUNCULUM EXCURRENS.

§. I. *Folia zonato-maculata.*324. GERANIUM ZONALE. *Lin.* (Tab. XCVIII. f. 2.)

G. Caule fruticoso : foliis orbiculatis, crenatis, obtuse-lobatis, zona nigricante, floribus umbellatis

G. Calycibus monophyllis, foliis cordato-orbiculatis, incisus, zona notatis; caule fruticoso. *Lin. sp. pl. n.º. 4. Burm. Ger. n.º. 43.*G. Africanum arborescens, alchemillæ hirsuto folio, floribus rubicundis. *Comm. pral. § 1. t. 1.*G. Foliis reniformibus, obtuse dentatis, nigrum circulum inscriptis. *Hall. Gott. 144.*

Caulis fruticosus, haud lignosus, ramosus, tripedalis.

Folia alterna, cordata, subreniformia, quinquelobata, crenato-dentata, petiolis subvillosis. Stipulæ subovatae, ciliatae, marcescentes.

Flores umbellati: pedunculus communis oppositifolius, longus: involucrium profunde multifidum, laciniis subovatis, scariosis: radii sanguinei, villosi, sesquipollicares.

Calyx profunde partitus in quinque lacinias apice acutissimas, reflexas.

Corolla rubra, aut violaceo-variegata, papilionacea, petalis duobus superioribus erecto-reflexis, emarginatis; reliquis patentibus integris. Cuniculus excurrit per totum fere pedunculum partialem.

Stamina: urceolus albus in decem filamenta terminatus, quorum septem antherifera: antheræ angustæ, lutescentes.

Germen pentagonum hirsutum: stylus pyramidalis: stigmata rubra.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, basi acutissimæ: arista pollicaris, barbata, in spiram tortilis.

*Habitat ad Caput B. Spei. H. Habui floridum a mense junio usque ad nov. Colitur in R. H. P.*Obs. *Varietatem colui floribus carneis, maculisque albicantibus, quam descripsit Burmanus loco citato.*

Explicatio fig. d Fructus dehiscens. e Semen. f Idem auctum ut cotyledonum situs et figura appareat.

325. GERANIUM MARGINATUM.

G. Caule frutescente: foliis rotundato-lobatis, limbo albo marginatis, vetustate scariosis: floribus umbellatis rubicundis.

G. Africanum arborescens alchemillæ folio, floribus rubicundis, foliorum limbo albicante. *Isnard herb.*

Planta præcedenti similis, at humilior.

Caulis frutescens, ramosissimus, subvillosus, sesquipedalis.

Folia alterna, petiolis breviora, rotundato-lobata, lobis 5-7 crenato-dentatis; glabra, limbo albo vel flavescente, vetustate scarioso, tuncque nonnihil cucullata. Stipulæ lato-acutæ, albicantes, lineis viridibus centralibus, deciduæ.

Flores saturate rubicundæ, numerosæ, umbellatæ.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H Habui floridum tota æstate.

Obs. A præcedenti separandam arbitror hanc speciem, quia facie diversæ videntur, huicque folia sunt semper limbo albicante numquam in centro maculata; præcedenti vero zona numquam in disco, sed in centro, hæcque nigra aut fusca inest.

326. GERANIUM TETRAGONUM, *Lin. sup.* (Tab. XCIX. f. 2.)

G. Caule tetragono fruticoso: foliis lobatis carnosus: pedunculis bifloris: corollis tetrapetalis.

G. Carnosum, caule tetragono, scandente; foliis lobatis, crenatis, glabris; pedunculis bifloris. *Lin. sup. p. 305.*

G. Trigonum, pedunculis bifloris, corollis tetrapetalis, caule fruticoso, angulato, foliis petiolisque pilosis. *Scopol. Deliciae flor. p. 12. Tab. V.*

G. Tetragonum. *Jacq. Misc. tom. 3. Tab. CXXXII.*

Caules tetragoni, quandoque trigoni, angulosi, canoso-succulenti ut et tota planta, procumbentes quum elongantur atque incrassantur, initio pilosi, postea glaberimi, ramosissimi, tripedales.

Folia alterna, petiolata, petiolis subæqualia, orbiculata, quinquelobata; juniora villosa, dentato-crenata, subtus violacea, supra vero zona atro-rubente variegata: vetustiora crenata, carnosæ, saturate viridia, villis aliquot, ac sæpe zonata. Stipulæ breves, semicirculares, patentis, marcescentes.

Flores axillares, pedunculati, pedunculis erectis, scabris, bifloris: ad bifurcationem stipulæ quatuor subovata.

Calyx tubulosus, longus, pentaphyllus, laciniis acutis, patulis, superiore latiore (more africanorum).

Corolla speciosissima, tetrapetala, papilionacea: petalis duobus superioribus sesquipollicaribus, basi semitubulosis, erectis, apice reflexis, extus purpureis, intus albicantibus, atque duabus maculis oblongis, plumullæ instar, saturate purpureis: duo reliqua lateralia falcata sibi parallela, unguibus angustis, inter quæ genitalia prodeunt longa, petalis superioribus perpendicularia, dehinc arcuato-erecta.

Stamina: urceolus tubulosus, albicans, partitus in decem filamenta, quorum septem longissima, saturate rubra, fasciculata, antherifera, reliqua breviora sterilia: antheræ atro-purpureæ, ovata.

Germen pentagonum pubescens; stylus pyramidalis, initio viridis, dehinc purpureus situ et longitudine staminum. Stigmata revoluta.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, oblongæ, villosæ, basi acutæ. Arista pollicaris, barbata, in spiram tortilis. Semina glabra, tritici granum referentia.

Habitat ad Caput Bonæ Spei, ubi eam observavit D. Thunbergius. H. Habui floridum a mense junio usque ad octob. Colitur in R. H. P. Facile propagatur tum seminibus, tum brevius, si rami implantentur terræ tepidæ a qua declinentur radii solares.

Obs. Singularis hæc planta sua carnositate ac pondere quo procumbit ac facile frangitur: aphylla quoque apparet, folia enim nec numero multa, neque fortius adherent.

Expl. fig. d Fructus dehiscens. e Semen. f Idem auctum ut eiusdem cotyledones observentur, atque horum figura et inæqualitas.

327 GERANIUM PELTATUM. *Lin.* (Tab. C. f. 1.)

G. Calycibus monophyllis: foliis quinquelobis, integerrimis, glabris, subpeltatis; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n^o. 13.*

G. Calycibus monophyllis, foliis quinquelobis, integerrimis, glabris, peltatis. *Burm. Ger. 48. Hort. Cliff. n^o. 14.*

G. Africanum foliis inferioribus asari, superioribus staphidis agricæ, maculatis, splendidibus, et acetosæ sapore. *Comm. plal. 52. t. 2.*

Tota planta glaberrima et carnosa.

Caulis sarmentosus, cujus rami partim erecti, partim declinati et prostrati, pedales, articulati.

Folia alterna, petiolis breviora, peltata, carnosa, quinquelobata, ac sæpius versus centrum macula circulari nigricante. Stipulæ carnosæ, ovato-acutæ.

Flores umbellati; pedunculus communis, oppositifolius, erectus, folio multo longior: involucrum ex quatuor aut quinque foliolis ovato-lanceolatis: radii subquatuor, semipollicares, versus florem incrassati.

Calyx ovatus, profunde partitus in quinque lacinias, florente planta patulas, nec reflexas. Striæ oblitteratæ.

Corolla papilionacea purpurascens; petalis superioribus latioribus reflexis, cum striis saturatoribus circa unguis. Cuniculus per pedunculum excurrens.

Staminum urceolus albus, in decem denticulos terminatus, quorum septem longiores fertiles. Antheræ septem, ovatæ, violaceo-rubentes.

Germen ovato-pentagonum villosum: stylus albus: stigmata purpurea.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Habui floridum a junio usque ad oct. Colitur in R. H. P. atque multiplicatur ut præcedens, quod et de reliquis fere omnibus frutescentibus intelligatur.

328. GERANIUM TABULARE. *Lin.* (Tab. C. f. 2.)

G. Caule fruticoso: calycibus monophyllis; foliis peltatis, rotundatis, angulosis, dentatis, glabris. *Burm. Ger. n^o. 44. t. 1.*

G. Calycibus monophyllis: foliis cordatis, sublobatis, crenato-dentatis, glabris, subciliaris; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n^o. 17.*

G. Africanum folio anguloso, circulo nigro notato. *Herm. pl. Af. p. 11.*

G. Montis tabularis. *Garz. herb.*

Tota planta glaberrima, atque a præcedente caule præsertim lignoso valde diversa.

Caulis fruticosus, glaber, purpurascens, geniculatus. (Fragmentum quod vidi, plusquam pedale erat, ac summitas plantæ videbatur.)

Folia alterna, pollicaria, subpeltata, profundissime cordata, quinquelobata, dentata, zona fere circulari rubro-nigricante desuper ornata: petioli folio multoties longiores, erecti. Stipulæ oblongæ, acutissimæ, apice purpurascens.

Flores ut in præcedenti, aliquando vero solitarii.

Calyx profunde partitus in quinque lacinias aristatas; striis decem oblitteratis: cuniculus brevis.

Corolla papilionacea, rubescens, petalis superioribus latioribus reflexis.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. V. S. apud D. Thouin.

Obs. *Hæc species longe diversa est ab illa quam Linn. ad calcem numeri 17 explicat, cuius caules prostrati, strigosi, &c. minime G. tabulari, sed sequenti elongato conveniunt.*

329. GERANIUM ELONGATUM. (Tab. Cl. f. 3.)

G. Caule herbaceo prostrato, hispido: foliis longissime petiolatis, quinquelobatis: pedunculis elongatis erectis: fructibus cernuis.

Caulis duriusculus, hispidus, teres, ramosus, prostratus.

Folia opposita, et ad flores simplicia, sesquipollicaria, cordata, subrotundo-quinque-lobata, dentato-crenata, scabra, quandoque glauca, zonaque nigricante aut rufescente insignita: petioli semipedales et amplius, quandoque rubescentes. Stipulæ lanceolatæ, reflexæ.

Florum pedunculus communis, oppositifolius, erectus, longitudine foliorum: involucrium subtetraphyllum foliolis acutis: radii 1. 2. 3. semipollicares, fructiferi cernui.

Calyx oblongus, profunde partitus in quinque lacinias ciliatas, acutissima cuspidate terminatas; superiore latiore, erecta, reliquis patulo-reflexis, postea ad fructum adpressis. Striæ decem parum conspicuæ.

Corolla papilionacea flavescens, calyce duplo longior, petalis superioribus latioribus, reflexis, emarginatis, reliquis linearibus. Cuniculus more consimilium.

Staminum urceolus albicans, in decem filamenta partitus, quorum septem antherifera, corollâ dimidio breviora: antheræ kermesinæ.

Germen parvum pentagonum: stylus tomentosus, viridis: stigmata reflexa.

Fructus nutans: capsulæ quinque monosperinæ, basi acutissimæ: arista sesquipollicaris, candide barbata, in spiram tortilis. Semina rufescentia.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. ☉. Habui floridum a mense julio usque ad octob. Colitur in R. H. P.

Obs. I. *Si prædicta descriptio cum illa comparetur quæ ad calcem exstat, G. tabularis Linnæi haud dissimilis reperietur: caulis tamen in mea planta est annuus, et flores lutei, non autem sic in Linnæana.*

II. *Ex seminibus quæ nomine superioris plantæ terræ commisi, quasdam habui plantas illi similes, in plurimis tamen ab eadem discrepantes: 1^o. tota planta biennis, quum superior sit annua; 2^o. folia immaculata, lobique profundio-*

res; 3^o. pedunculi communes plusquam pedales. Num ergo pro varietate habenda hujusmodi stirpes? an uti specie diversæ?

Explic. fig. f Fructus dehiscens. g Semen. s s Idem auctum ut lobi aut cotyledones conspiciantur.

330 GERANIUM ALCHIMILLOIDES. *Lin.* (Tab. XCVIII. fig. 1.)

G. Caule herbaceo; foliis orbiculatis, pilosis, quinquepartitis; lobis trifidis; umbellis longissimis multifloris.

G. Calycibus monophyllis; foliis orbiculatis, palmatis, incisissimis, pilosis; caule herbaceo decumbente. *Lin. Sp. pl. n^o. 19. Burm. Ger. n^o. 55.*

G. Africanum folio alchimillæ. *Quir. Riv. flor. irreg. pent. T. T. 107. 108.*

G. Africanum, alchimillæ hirsuto folio, floribus albidis. *Herm. Lugd. 282. t. . . . Tournef. inst. p. 269.*

G. Africanum, alchimillæ hirsuto folio, maculato; floribus incarnatis. *Isnard. herb.*

Caules crassi, herbacei, pilosi ut et tota planta, diffusi, breves, ramosi.

Folia radicalia longissime petiolata, petiolis erectis; caulina opposita, petiolis longiora, orbiculato-quinquefida, lobis 3-5 crenatis. Stipulæ subovatae.

Florum pedunculus communis alternando axillaris, longissimus, erectus: involucri multifidum, laciniis lanceolatis, ciliatis; radii subquinque floriferi erecti, fructiferi nutantes.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis aristatis.

Corolla papilionacea, albicans aut rubescens, petalis superioribus latioribus; reflexis, emarginatis. Cuniculus per totam pedunculi longitudinem excurrens.

Staminum urceolus rubescens, in filamenta decem partitus, quorum septem antherifera; antheræ dilute croceæ.

Germen pentagonum, tomentosum; stylus tomentosus; stigmata rubra.

Fructus nutans: capsulæ quinque monospermæ, basi acutæ, tomentoso-ferrugineæ; arista sesquipollicaris, candide barbata. Semina nigra, oblonga.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. *H.* Habui floridum a mense junio usque ad septemb. Colitur in R. H. P.

Explic. fig. a Genitalia. b Fructus dehiscens. c Semen.

§. II. FOLIA IMMACULATA.

A. Folia integra, aut subintegra.

331. GERANIUM CILIATUM. (Tab. CXVIII. f. 2.)

G. Acaule, radice tuberosa; foliis ovatis, ciliatis, integerrimis; scapo radicali, umbellifero.

Radix globosa, tunicata, basi angustata, atque in radículas plures subulatas partita.

Caulis nullus.

Folia petiolis subæqualia, pollicaria, ovata, ciliata, uninervia, integerrima.

Stipulæ: pelliculæ petiolis immixtæ.

Flores umbellati, parvi: involucrum sexphyllum, setosum, villosum: radii tres duarum linearum.

Calyx ovatus, villosus, profunde quinquepartitus.

Corolla papilionacea, flavescens; petalis duobus superioribus paulo latioribus, erecto-reflexis.

Reliqua desiderantur.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Tr. Observatum et communicatum a D. Thunbergio.

Plantula vix quatuor pollices superans a radice ad summos flores, quam magnitudine naturali sinit figura.

332 GERANIUM LONGIFOLIUM. *Burm.* (Tab. CII. f. 1.)

G. Acaule, foliis lanceolatis longissime petiolatis: scapo radicali ramoso: umbellis multifloris.

G. Calycibus monophyllis, foliis simplicibus, oblongo-lanceolatis, radice tuberosa. *Burm. Ger. n^o. 67. tab. 2.*

G. Monomotapense tuberosum, longifolium. *Herb. Oldenl.*

G. Africanum, folio integro, radice lignosa, tuberosa. *Herm. pl. afr. 12.*

G. Auritum. *β. Lin. Sp. pl. n^o. 28.*

Radix lignoso-tuberosa, turbinata.

Caulis nullus.

Folia numerosa, longissime petiolata, oblongo-lanceolata, stipulis imbricata oblongis, acutis, basi latis.

Flores umbellati: scapus radicalis plures umbellas sustinens: involucrum polyphyllum foliolis angustis, acutis, ciliatis. Umbellarum pedunculi bipollicares: radii 5-8 vix semipollicares.

Calyx monophyllus, villosus, rubescens, quinquepartitus.

Corolla papilionacea, albicans, lineis purpureis notata: petala duo superiora latiora, longiora, reflexa, inter quæ et calycis laciniam superiorem cuniculus incipit per pedunculum excurrens.

Stamina: urceolus albus germen cingens in denticulos partitus, quorum quatuor longiores: (an hi dumtaxat antheriferi?) Antheræ ovato-compressæ.

Germen minimum, pentagonum, villosum: stylus incrassatus: stigmata purpurascencia, reflexa.

Fructus desideratur.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Tr. V. S. apud D. de Lamarck ex collectis Sonneratianis.

Obs. *Linnæus unicam efformavit speciem ex hac et ex G. aurito, quas merito separavit Burmanus.*

Explic. fig. a Corolla. b Calyx. c Idem aliter spectatus.

333 GERANIUM LANCEOLATUM. (Tab. CII. fig. 2.)

G. Caule fruticoso, ramis virgatis; foliis lanceolatis, oppositis, integerrimis, glaucis: pedunculis axillaribus subunifloris.

G. (Glaucum), calycibus monophyllis, caule erecto, foliis lanceolatis integerrimis. *Lin. Supl. p. 306.*

Tota planta glaberrima, glauca, et quasi albicans.

Caulis fruticosus, ramis teretibus, virgatis, declinatis, bipedalibus.

Folia opposita, petiolis teretibus erectis, sæpe breviora, lanceolata, acumine acuto, glauca, crassiuscula, integerrima. Stipulæ lanceolato-acuminatæ, carnosæ, deciduæ.

Florum pedunculi alternatim axillares, longissimi, uniflori, aut biflori.

Calyx monophyllus quinquepartitus, laciniis acuminatis, superiori et duabus inferioribus latioribus.

Corolla papilionacea alba: petalis superioribus latioribus reflexis, unguibus purpureis. Cuniculus ut in affinis.

Stamina: urceolus albus germen cingens in filamenta decem partitus quorum septem per paria sensim longiora: antheræ septem aliquando sex ovatæ, dilute crocæ.

Germen pentagonum: stylus villosus: stigmata rubra.

Fructus.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. ℥. Observatum a D. Thumbergio. Habui floridum a mense junio usque ad octob. Colitur in R. H. P.

Obs. Quoniam Cl. Burmanus speciem dedit (de qua postea) nomine *G. glauci*, conservandam tali nomine censui, atque huic novæ nomen aliud imponendum a *Linnaeano diversum.*

Explicatio figuræ. *d* Flos integer. *e* Petalum. *f* Stamina.

334 GERANIUM AURITUM. *Lin.*

G. Calycibus monophyllis, scapis radicalibus, umbella composita divisa; foliis ovalibus, simpliciusculis. *Lin. Sp. pl. n.º 28.*

G. Calycibus monophyllis; foliis oblongis, integris, tripartitis; pedunculis radicalibus. *Burm. Ger. n.º 61.*

G. Africanum, foliis plerumque auritis, floribus ex rubro purpurascens. *Commel. Hort. Amst. 2. p. 121. tab. 61.*

Planta acaulos, cujus radix fibrosa.

Folia radicalia, petiolata, ovato oblonga, indivisa aut triloba, integerrima, utrimque pubescentia, margine piloso crassa, late virentia, acida.

Scapus radicalis, pilosus, petiolis triplo longior (in fig. citata, pedalis). Involucrum quinquepartitum: radii plures inæquales.

Calyx monophyllus, pubescens.

Corolla papilionacea atra secundum *Linnaeum*, purpureo-rubra juxta *Burmanum*, petalis duobus superioribus erecto-revolutis, latioribus, longioribus.

Stamina: filamenta albida connata: antheræ quinque luteæ.

Germen pentagonum? Stylus purpureus.

Fructuum rostra brevia.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. ℥. Nullibi hanc plantam vidi nisi depictam in H. Amstelodamensi supra laudato, quamque inter capenses rarissimam dixit Burmanus.

Obs. *Tres species longe diversas in unam conjunxit Linnaeus nomine G. Auritis hanc scilicet, oxaloidem atque longifol.*

335. GERANIUM ŒNOTHERÆ. *Lin. Supp.*

G. Calycibus monophyllis; foliis oppositis lanceolatis, serrato-dentatis, mollissime tomentosis; umbella pauciflora. *Lin. Supp.* 305.

Herba habitu œnothæræ mollissimæ, tota tomento tenuissimo cano mollissima.

Folia petiolata, lineari-lanceolata, dentato-serrata: caulina opposita.

Stipulæ subulæræ.

Pedunculi filiformes longi: involucrum pentaphyllum; foliolis lanceolatis hirsutis: umbella tri vel quadriflora; pedicellis calyce brevioribus.

Calyces magni. Flores violacei.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Planta mihi ignota.

336. GERANIUM GLAUCUM. *Burm. (Tab. CIII. f. 2.)*

G. Acaule: foliis ovato-oblongis, serratis, incano-tomentosis; scapis radicalibus.

G. Calycibus monophyllis; foliis ovato-oblongis serratis, caule nullo, radice lignosa. *Burm. Ger. n.º. 62.*

G. Malvindæ folio incanum *Herb. Garz. apud Burm.*

G. Pusillum argenteum heliotropii minoris folio. *Shav. African. p. 41. n.º. 260. fig.*

Planta pusilla tomento lanuginoso obsita.

Radix lignosa, teres, descendens.

Caulis nullus.

Folia numerosa, longe petiolata, ovato-oblonga, serrata, incana.

Flores in scapis radicalibus, folio longioribus: involucrum rubescens in quatuor foliola ovata partitus: radii unus aut plures: (in exemplari quod vidi, simplex; in illis quæ Burmanus examinavit, duo aut quatuor.)

Calyx ovatus, valde tomentosus, monophyllus, laciniis ovatis.

Corolla papilionacea, calyce dupla; petalis superioribus latioribus.

Reliqua desiderantur.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. ¶ V. S. apud D. de Lamarck ex collectis sonner.

337 GERANIUM OXALOIDES. *Burm. (Tab. XCVII. fig. 2.)*

G. Calycibus monophyllis, foliis ovato-hastatis, carnosis; radice rapacea. *Burm. Ger. n.º. 71.*

G. Auritum γ . *Linn. Sp. pl. n.º. 28*

G. Monomotapense radice tuberosa, acetosæ foliis, floribus striatis incarnatis. *Herb. Oldenl.*

a. Geranium idem foliis orbiculatis minimis. *Herb. Oldenl.*

G. Floribus parvis, rubellis; foliis subrotundis, procumbens. *Herm. pl. Afr. p. 11.*

Planta pusilla, cujus radix singularis rapacea.

Folia petiolata, eleganter hastata, seu ovato-acuta, et binis quasi auriculis inferius donata, crassa, carnosae.

Scapus eodem modo ut in *proliferis* speciebus umbellas sed pauciores emittit, et brevior. Flores irregulares, sex, incarnati, pedicellati.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. ¶.

Nulli vidi hanc plantam: iconem itaque ac descriptionem ex Burmano deprompsi, qui sequentia addit.

Hujus et altera varietas ante paucos annos in Parentis horto floruit, cujus folia unguem vix superabant, carnosae, instar *Cochleariæ Groënlandicæ* excavatae. Flores pusilli, rubentes, tenuissimo et brevissimo insidentes pedunculo, umbellatim dispositi. Plantula minutissima. *Hæc ille. Verumtamen valde suspicor speciem fuisse plantam, quam ille pro varietate habuit. De Linnæi vero oscitantia in speciebus conjungendis quas accumulavit duobus nominibus G. G. prolifici, et auriti; ipsum dicam de plantis disseruisse quas numquam vidit, aut male examinavit.*

ic nova species Geranium sulcat pilosum.

338 GERANIUM OVATUM. (Tab. CIII. f. 3.)

G. Caule brevi suffruticoso: foliis ovatis, dentatis, tomentosis: pedunculis terminalibus paucifloris.

Ger. ovale calycibus monophyllis; foliis ovalibus, crenatis, planis, tomentosis; petiolis longissimis; caule suffruticoso prostrato. *Burm. prodr. flor. cap. 19.*

Caulis (si ex exemplaribus siccis conjiciendum est) brevis, vix pollicaris, fruticosus.

Folia inferiora sive radicalia numerosa, longissime petiolata, ovata, serrata, tomentosa: caulina alterna breviusque petiolata. Stipulæ lanceolato-acuminatæ.

Florum pedunculi terminales, longissimi, subtriflori. Involucrum ex quatuor foliolis acutis, conniventibus: radii sesquiunciales.

Calyx ovatus, tomentosus, laciniis quinque ovatis, superiore latiore.

Corolla papilionacea, calyce duplo major, rubescens, petalis superioribus, longioribus, latioribus, reflexis. Cuniculus brevis.

Stamina: urceolus decedentatus; dentibus alternis sterilibus, brevioribus; reliquis quinque longioribus. Antheræ fuscae, oblongæ.

Germen pentagonum: stylus pyramidalis: stigmata rubra, revoluta.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, basi acutæ. Arista pollicaris.

Habitat ad Caput B. Spei. ¶ V. S. Communic. a D. Thunbergio.

Obs. Hoc Geranium differt a Glauco inter alia, 1°. Stipulis lanceolatis, 2°. Foliis tomentosis, nec incanis, 3°. Umbellis longissimis, 4°. Caule: a Betulino vero, corollis papilionaceis, staminibus quinque, caule brevi, etc.

Expl. figuræ. a Stamina. b. Unum separatum. c Calyx apertus.

339 GERANIUM BETULINUM. *Lin.*

G. Calycibus monophyllis; foliis ovatis, inæqualiter serratis, planis; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n°. 9. Burm. Ger. n°. 38.*

G. Frutescens, folio lato dentato, flore magno rubente. *Burm. Afric.* 92.

t. 33. fig. 1.

G. Frutescens folio subrotundo dentato: flore purpureo. *Burm. ibid.*

G. Fruticosum, betulæ folio, Africanum. *Pluk. mant.* 90. t. 415. f. 3.

Caulis fruticosus; ramis crassis, lignosis, purpurascens, scabris.

Folia alterna, brevissime petiolata, crassa, venosa, dentata, ovata.

Flores terminales gemini, sæpius terni, pedunculis semiuncialibus.

Calyces magni, foliolis acutis hirtis.

Corolla eleganter purpurea, petalis oblongis æqualibus.

Stamina (septem video in Burmani figura.)

Semina: oblongo-acuta, fusca.

Habitat ad Cap. B. Spei. ♪ *Nullibi vidi hanc plantam. Quæ præcedunt transcripsi ex laudato opere.*

Obs. Cum dubio ad hanc sectionem refero hanc speciem, quia Burmanus eam inter gerania numeravit, non vero inter pelargonia. Nihilominus si septem staminibus ornantur flores, ut in ejusdem figura apparet, petalorum æqualitas impedire nequit quin ad hanc sectionem jure merito reducat. Etenim tunc temporis non glandulæ quinque reperientur cum petalorum unguibus alternantes, sed cuniculus per pedunculum excurrans in quo unice consistit sectionum varietas. Consulantur observationes quæ in præfatione exstant.

340 GERANIUM ACETOSUM. *Lin.* (Tab. CIV. f. 3.)

G. Caule fruticoso: foliis cuneato-ovatis, crenatis, carnosissimis: corollæ petalis superioribus angustioribus.

G. Calycibus monophyllis; foliis glabris, obovatis, carnosissimis, crenatis; caule fruticoso, laxo. *Lin. Sp. pl. n.º. 4.*

G. Calycibus monophyllis; foliis glabris, subovatis, carnosissimis, crenatis. *Burm. Ger. n.º. 47.*

G. Africanum frutescens, folio crasso et glauco, acetosæ sapore. *Commel. præl. 54. t. 4.*

Caulis teres, ramosus, succulentus.

Folia alterna, petiolis subæqualia, ad cujus ortum alia minora, omniaque cuneato-ovata, crenata, crassa, carnosissima, glauca, acidi saporis. Stipulæ obtusæ, patulæ.

Flores umbellati, papilionacei: pedunculus communis spithamæus, oppositifolius: involucrum ex quatuor foliolis lanceolatis; radii subtres plusquam pollicares, prope initium gibbi, quousque scilicet cuniculus producit.

Calyx profunde quinquefidus, laciniis lanceolatis acutis.

Corolla pallide rubens; petalis duobus superioribus erectis, angustioribus, maculatis; reliquis latioribus, dependentibus.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, basi acutæ: arista plusquam pollicaris.

Habitat ad Caput Bone Spei. ♪ *V. S. Communicatum a D. Thouin. et V. V.*

341 GERANIUM HYBRIDUM. *Lin.* (Tab. CV. f. 2.)

G. Caule fruticoso succulento: foliis alternis, orbiculatis, crenatis; umbellis elongatis: floribus maximis coccineis.

G. Calycibus monophyllis: foliis suborbiculatis, glabris, crenatis, integris; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n^o. 3.*

G. Africanum arborescens, malvæ folio pingui: flore coccineo. *Dill. t. 125. f. 152. varietas?*

Tota planta glaberrima ac fere pedalis.

Caulis brevis, crassus, fruticosus nec lignosus, valde ramosus.

Folia alterna, petiolis breviora, subrotunda, crenata, nonnihil concava, nec cuneata neque reniformia, saporis acetosa. Stipulae ovato-acutae.

Flores umbellati: pedunculus communis erectus, semipedalis: involucrem multipartitum: radii 10-12 pollicares, sensim incrassati, per cujus integram fere longitudinem cuniculus producitur.

Calyx ovatus, profunde partitus in quinque lacinias. Striae parum patentes.

Corolla coccinea immaculata, omnium Geraniorum maxima (figura et colore accedit ad amarilidem formosissimam, sed minor): petala superiora reflexa, paulo ceteris breviora.

Stamina: urceolus albus: filamenta antherifera septem, reliqua tria breviora sterilia: antherae kermesinae ovatae.

Germen pentagonum: stylus pyramidalis: stigmata revoluta.

Fructus ut in praecedenti. *H.*

Habitat ad Caput Bonae Spei. Habui floridum mensibus julio et aug. Colitur in R. H. P.

342 GERANIUM CORDIFOLIUM. (Tab. CXVII. f. 3.)

G. Caule fruticoso: foliis cordatis, subrotundo-acutis, denticulatis, tomentosis: umbellis numerosis, terminalibus.

Caulis fruticosus, ramosus; quum veterascit cortice cinereo tectus, tener vero ruber, tenerrimus denique viridis, villosus.

Folia alterna, petiolis subaequalia, cordata, subrotundo-acuta, affabre denticulata, tomentosa, subrus albicantia. Stipulae subovatae.

Flores in summo ramulorum et caulis umbellati, umbellis numerosis.

Calyx ovato-oblongus, valde tomentosus, laciniis ovato-acutis, striatis, superiore latiore.

Corolla papilionacea, magna, dilute purpurea, petalis superioribus latioribus, longioribus, lineisque saturatoribus, plumosis, rubris ab unguibus ad medietatem usque: reliquis tribus inferioribus albicantibus, linearibus.

Staminum urceolus albicans: filamentis antheriferis septem longioribus; tribus reliquis brevissimis. Antherae ovato-oblongae, lutescentes.

Reliqua ut in congeneribus.

Habitat ad Caput Bonae Spei. H. V. S. apud DD. de Jussieu et Thouin ex collectis a DD. Thumbergio et Sonnerat.

Obs. *Tabula incisâ plantam vidi vivam in R. H. P. quae ab exemplaribus capensis differt eo quod mitior sit culturâ, nec ita tomentosa. Floruit mense junio.*

343 GERANIUM HERMANIFOLIUM. *Lin.*

G Calycibus monophyllis; foliis cuneiformibus, plicatis, scabris, superne serratis; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n^o. 6.*

Frutex erectus, ramulis pubescentibus.

Folia cuneata, plicata, apice dentata, indivisa, scaberrima.

Flores rubicundi.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H.

Differt omnino a Geranio crispo, foliis minime divis.

Obs. Planta mihi ignota, quemadmodum et sequens, quas auctoritate Linnei reliquis adnumero.

344. GERANIUM COTYLEDONIS. *Lin.*

G. Calycibus monophyllis; foliis cordato-orbiculatis, peltatis, cucullatis, crenatis, pubescentibus.

Habitat ad Caput Bonæ Spei.

345 GERANIUM CUCULLATUM *Lin.* (Tab. CVI. fig. 1.)

G. Calycibus monophyllis, foliis cucullatis dentatis; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n^o. 10. Burm. Ger. n^o. 42.*

G. Africanum arborescens, hibisci folio rotundo, carlinæ odore. *Herm. Lugd. 274. t. 275. Tourn. inst. 269.*

G. Africanum maximum. *Ravin. pent. t. 98.*

Caulis crassus, orgialis, ramosus; ramorum summitatibus florum multitudine fastigiatis; pubescens ut et tota planta.

Folia alterna, longe petiolata, subrotunda, cucullata, dentata, denticulis purpurascens. Stipulae ovato-acuminatae, marcescentes.

Florum pedunculi communes axillares, solitarii, folio longiores: involucrium ex quinque foliolis, ovato-acutis: radii fere quinque atropurpurei (ut et calyces), vix pollicares.

Calyx oblongo-ovatus, laciniis ovato-lanceolatis: striæ decem oblitteratae.

Corolla calyce duplo major, papilionacea, dilute cærulea, striis plumosis saturatoribus variegata: petalis tribus inferioribus, angustioribus, immaculatis.

Cuniculus semipollicaris.

Staminum urceolus decempartitus, filamentis tribus brevibus, sterilibus; reliquis septem longioribus, purpureis, antheras totidem sustinentibus.

Germen villosum: stylus purpureus.

Fructus: capsulae tomentoso-rufescentes: arista semipollicaris, barbata.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Habui floridum a mense maio usque ad aug. Colitur in R. H. P.

Obs. Cl. Linnaeus et Burmanus in unam speciem conjunxerunt plantas longe diversas, Geranium scilicet hoc cucullatum, et Ger. acerifolium de quo postea, cui folia sunt angulata, angulis acutis, caulisque multo humilior.

Explicatio fig. a Fructus integer supra calycem reflexum, ut conspici queat. b Semen. c Idem auctum, ut eiusdem lobi horumque inflexio observentur.

346 GERANIUM ODORATISSIMUM. *Lin.* (Tab. CIII. fig. 1.)

G. Calycibus monophyllis, caule carnosobrevi, ramis herbaceis longis;

- foliis cordatis mollissimis (fragrantissimis addo Cav.) *Lin. Sp. pl. n°.* 21.
Burm. Ger. n°. 45
 G. Africanum humile, folio fragrantissimo, molli. *Dill. Elth.* 157. t. 131.
 f. 138.
 Caulis brevis, bipollicaris; ramis herbaceis, pedalibus, decumbentibus.
 Folia opposita, longissime pedunculata, cordata, subtriloba (in exemplaribus præsertim africanis), crenata, mollissima, odorem spirantia suavissimum.
 Stipulæ breves, basi latæ.
 Flores umbellati, pedunculis solitariis alternis: involucrium hexaphyllum acutum: radii quinque aut plures, vix semiunciales.
 Calyx ovatus, laciniis acutis reflexis, superiore erecta.
 Corolla papilionacea albicans aut dilute rosea. Cuniculus duarum linearum.
 Reliqua more congenerum: antheræ septem: aristæ semiunciales, barbata.
Habitat ad Caput Bonæ Spei. ¶. Habui floridum mense julio. Colitur in R. H. P.

B. *Folia lobata vel ternata.*

- 347 GERANIUM AFRICANUM. (Tab. CIV. f. 1.)
 G. Foliis alternis, cordatis, dentatis, villosis; inferioribus orbiculatis, superioribus subtrilobis: floribus umbellatis parvis.
 Caulis herbaceus (ex fragmento quod vidi), ramosus, villosus ut et tota planta.
 Folia alterna, cordata, denticulata, villosa, petiolis subæqualia; inferiora orbiculata, obscure lobata; superiora brevius petiolata, subtriloba. Stipulæ ovato-acutæ.
 Flores umbellati: pedunculus communis oppositifolius, folio multoties longior: involucrium ex sex foliolis lanceolatis: radii breves, fere quatuor.
 Calycis laciniæ acuminatæ.
 Corolla papilionacea, purpurascens, calyce dupla; petalis superioribus latioribus, longioribus; striis plumosis.
 Stamina antherifera septem. Antheræ oblongiusculæ.
Habitat ad Caput Bonæ Spei. V. S. apud D. de Lamarck.
 Obs. *Valde affine præcedenti: an ejusdem varietas?*

- 348 GERANIUM ALTHÆOIDES. *Lin.* (Tab. CXXIII. f. 2.)
 G. Caule herbaceo tomentoso: foliis oppositis, cordato-ovatis, sinuatis, crenatis: umbella longissime pedunculata: floribus minimis.
 G. Calycibus monophyllis, foliis ovatis, plicatis, sinuatis, tomentosis, crenatis; caule herbaceo prostrato. *Lin. Sp. pl. n°.* 24.
 G. Calycibus monophyllis, foliis cordato-ovatis, plicatis, sinuatis, crenatis; caule herbaceo prostrato. *Hort. Cliff.* 345.
 G. Calycibus monophyllis; foliis ovatis, sinuatis, crenatis: caule filiformi. *Burm. Germ.* 54.
 G. Africanum, folio althææ, odore melissæ. *Boer. Lugd.* 1. p. 26.
 Planta perennis depressa, tota subtomentosa.

Caules ramosi ; rami longi, simplices, filiformes, rugosi, purpurascens.
Folia opposita, petiolis breviora, ovata, sinuata, crenata, hirsuta. Stipula ovato-acuta.

Florum pedunculi axillares, petiolis longiores, erecti: involucrium polyphyllum, foliolis acutis: radii 5-10 vix trium linearum.

Calyx profundissime partitus in quinque lacinias, ovato-acutas, striatas.

Corolla papilionacea, vix calyce major, saturate purpurea, petalis duobus superioribus longioribus, latioribus margine albo, in centro striis variegatis: cuniculus sesquilinearis.

Staminum urceolus albicans, decemfidus; stamina quinque subulata, longiora; anthera quinque oblonga.

Germen villosum: stigmata purpurea.

Fructus: capsulae quinque rufescentes, basi acutissimae: arista pollicaris et amplius, pilis rufis barbata.

Habitat ad Caput Bonae Spei. *W.* Vidi *S. Communicatum a D. de Jussieu.*

349. GERANIUM ACERIFOLIUM. (Tab. CXII. f. 2.)

G. Caule erecto fruticoso: foliis angulosis, acutis, dentatis, subcucullatis: floribus umbellatis.

G. Fimbriatum calycibus monophyllis, foliis cordato-angulatis, crenis purpureis fimbriatis. *Burm. Ger. n^o. 42, a.*

G. Africanum arborescens, foliis cucullatis angulosis. *Dill. Hort. Elth. t. 129. f. 156.*

G. Africanum arborescens, hibisci folio anguloso, floribus amplis, purpureis. *Mart. Cent. p. 28. t. 28.*

G. Capense aceris folio. *Petiv. Gazoph. t. 84. f. 5.*

Pelargonium folio cucullato, ad oras sinuoso et variegato, flore amplissimo: *Burm. Afr. 92. t. 35. f. 3?*

Tota planta villosa, odoremque gratissimum spirans.

Caulis fruticosus, erectus, ramosus, cortice cinereo tectus, tener viridis et villosus, tres pedes altus.

Folia alterna, petiolis saepe breviora, rigida, subcordata, angulata, affabre denticulata, cucullata, dentibus rubris. Nervi principales tres, ramosi, albicantes, protuberantes. Stipulae ovato-acutae, patulae.

Flores in summis ramis, umbellati: pedunculus communis oppositifolius. Involucrium ex quinque foliolis ovato-acutis: radii subquinque.

Reliqua ut in G. cucullato, at paulo breviora.

Habitat ad Caput Bonae Spei. *H. V. V. in R. H. P.*

350. GERANIUM INQUINANS. *Lin.* (Tab. CVI. f. 2.)

G. Caule fruticoso, succulento: foliis cordatis, orbiculatis, lucidis, sublobatis, crenatis; flore eleganter kermesino.

G. Calycibus monophyllis, foliis orbiculato-reniformibus, tomentosus, crenatis, integriusculis; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n^o. 2. Hort. Upsal. 195. Burm. Ger. n^o. 46.*

G. Africanum arborescens, malvæ folio, plano, lucido; flore elegantissimo kermesino. *Mart. Cent. p. 3. f. 3.*

G. Africanum arborescens, malvæ folio pingui, flore coccineo. *Dill. Elth. t. 125. f. 151.*

Caulis crassus, fruticosus, ramis nitide virentibus, villis minimis obductus.

Folia alterna petiolis subæqualia, cordata, subrotunda, subquinelobata, crenata, lucida. Stipulæ magnæ, subrotundæ, extus concavæ.

Florum pedunculus communis oppositifolius, longissimus, basi incrassatus; involucrum multifidum, laciniis ovato-acutis: radii sub 20, pollicares.

Calyx ovatus; striis oblitteratis.

Corolla patentissima, petalis subæqualibus, kermesino colore spectandis; duobus superioribus paulo brevioribus. Cuniculus fere pollicaris.

Reliqua ut in præcedenti. Stamina fertilia 7. Antheræ kermesinæ.

Habitat ad Caput Bonæ Spæ. H. Habui floridum a mense junio usque ad septemb. Colitur in R. H. P.

Variat corollis roseis.

351. GERANIUM PAPILIONACEUM. *Lin. (Tab. CXII. fig. 1.)*

G. Caule fruticoso: foliis alternis, cordatis, lobatis, rugosis.

G. Calycibus monophyllis; corollis papilionaceis, alis, carinaque minutis; foliis angulatis, caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n.º. 5.*

G. Calycibus monophyllis, corollis papilionaceis, vexillo dipetalo maximo; foliis angulatis. *Burm. Ger. n.º. 49.*

G. Africanum arborescens, flore veluti dipetalo, eleganter variegato. *Dill. Elth. 124. t. 128. f. 155.*

G. Africanum arborescens, malvæ folio mucronato, petalis florum inferioribus vix conspicuis. *Martin. Cent. p. 15. t. 15.*

Caulis fruticosus, teres, ramosus, ramis tomentosis, bipedalis.

Folia alterna, longe petiolata, petiolis tomentosis, basi incrassatis, cordata, angulata, crenata, rugosa, scabra; nervis quinque ramosis subtus protuberantibus: stipulæ lato-acuminatæ, patentes.

Flores umbellati, umbellis pluribus villosis in summis ramis: pedunculus communis axillaris, sesquipollicaris; involucrum multifidum laciniis ovato-acutis: radii 3-5 vix pollicares.

Calyx ovato-oblongus profunde quinquepartitus, laciniis sæpe reflexis.

Corolla papilionacea, extus albicans, intus purpurea, margine albo: petalis duobus superioribus calyce duplo majoribus erecto-reflexis; maculis oblongis, plumosis, saturate purpureis ornatis: tribus reliquis adeo brevissimis ut corolla bipetala videatur, linea pariter purpurea bifida notatis: cuniculus brevissimus.

Staminum urceolus basi purpureus, decempartitus: filamenta septem longiora antherifera: antheræ dilute rubentes.

Germen minimum: stylus elongatus; stigmata reflexa.

Fructus: capsulæ quinque basi acutæ, arista brevi tortili terminatæ.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Y. Habui floridum mense junio. Colitur in R. H. P.

Explicatio figuræ. *a* Flos calyce destitutus. *b* Idem aliter spectatus. *c* Genitalia.

352. GERANIUM VITIFOLIUM. *Lin.* (Tab. CXI. fig. 1.)

G. Caule fruticoso : foliis oppositis, lobatis, rugosis, pubescentibus : floribus capitatis.

G. Calycibus monophyllis : foliis adcurrentibus, lobatis, pubescentibus : floribus capitatis : caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n°.* 15. *Burm. Ger. n°.* 40.

G. Africanum arborescens, vitis folio, odore melissæ. *Dill. Elth. 152. t.* 126. *f.* 153.

G. Capense, ribesii folio. *Petiv. Gazoph. t.* 84. *f.* 6.

Caulis erectus, fruticosus, nec lignosus; rami pubescentes.

Folia opposita, petiolis villosis-scabris subæqualia, cordata, triloba, lobo medio productiore, crenata, rugosa, villosis-scabra. Stipulæ ovato-acutæ.

Flores capitati : pedunculus communis axillaris, petiolo longior : involucrium ex quinque fere foliolis ovatis : radii plures, breves.

Calyx ovato-oblongus, villosus; laciniis breviter aristatis. Striæ decem.

Corolla papilionacea, dilute carnea; petalis superioribus latioribus, longioribus erecto-reflexis, atque maculis plumosis variegatis. Cuniculus brevis.

Staminum urceolus albus : filamenta antherifera septem : antheræ incarnatæ.

Germen villosum : stigmata, cum stylo incarnata.

Fructus : capsulæ fuscæ, tomentosæ, monospermæ, basi acutæ : arista semipollinaria, candide barbata, tortilis.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Y. Habui floridum a mense maio usque ad aug. Colitur in R. H. P.

353. GERANIUM GROSSULARIOIDES. *Lin.* (Tab. CXIX. fig. 2.)

G. Caule prostrato, lævi, herbaceo : foliis cordatis, subrotundis, lobato-incisis, crenatis : pedunculis capillaribus.

G. Calycibus monophyllis : foliis cordatis, subrotundis, lineatis, incisis, crenatis : caule herbaceo. *Lin. Sp. pl. n°.* 23.

G. Calycibus monophyllis; pedunculis multifloris; foliis cordatis, subrotundis, lobatis, crenatis. *Burm. Ger. n°.* 53.

G. Africanum flore minuto. *Riv. pent. t.* 111.

Planta glaberrima.

Caules plures, prostrati, rubri, compressi, bipedales et amplius.

Folia radicalia numerosa, caulina opposita, longissime petiolata petiolis rubris canaliculato-triuestris. Stipulæ acutæ, reflexæ.

Flores umbellati : pedunculus communis capillaris, petiolo brevior. Involucrium trifidum : radii breves 3-4.

Calycis laciniæ acutæ, reflexæ.

Corolla minima, dilute incarnata, papilionacea; petalis superioribus reflexis; lineisque saturatoribus. Cuniculus longitudine fere pedicelli.

Staminum urceolus albus ; sæpe octofidus , laciniis quatuor antheriferis : antheræ quandoque tres dumtaxat.

Germen pentagonum minimum , stylus atque stigmata rubra.

Fructus globosus : capsulæ minimæ nigricantes : arista duarum linearum.

Habitat in Africa. Ψ. Habui floridum a mense junio usque ad august. Colitur in R. H. P.

Obs. *Folia præsertim in summis ramulis sunt profundissime laciniata. Videatur littera N. in dicta figura 2. t. CXIX.*

Tabula 289. *Hermanii Lugd. quæ sistit Geranium africanum uvæcrispæ folio , calyculis procumbentibus , floribus exiguis rubellis , ejusdem , magis representat G. maritimum quam hocce Grossularioides. Videatur herb. D. Isnard.*

G. Africanum folio Grossulariæ , Rivini t. 110 ad hoc Grossularioides accedit : attamen villosum ubique est , floribusque multo majoribus ornatur.

354. GERANIUM VISCOSUM. *R. H. P.* (Tab. CVIII. f. 2.)

G. Caule fruticoso : foliis cordatis , quinquelobatis , acutis , dentatis , viscosis , sinuatis : floribus umbellatis.

G. Glutinosum. *Iacq. Misc. vol. 3. tab. 131.*

Caulis fruticosus , cortice griseo tectus , ramosus , ramis declinato-decumbentibus viridibus glutinosis ut et tota planta , tripedalis et amplius.

Folia alterna , in summitatibus quandoque opposita , petiolis sæpe breviora , magna , cordata , dentata , quinqueangulata , acuta , sinuata. Stipulæ lato-acuminata , marcescentes.

Florum pedunculi communes axillares , laterales , vel oppositifolii , erecti , solitarii , foliis longiores : involucrum pentaphyllum , foliolis ovato acutis , marcescentibus : radii 3-8 semipollicares.

Calyx ovatus , villosus , profunde quinquepartitus , laciniis reflexis.

Corolla calyce multo major , papilionacea , dilute purpurea , striis rubris variegata : petala duo superiora latiora reflexa.

Staminum urceolus in decem filamenta partitus , quorum septem longa purpurea , villosa , fertilia , tria reliqua minima sterilia. Antheræ oblongæ , purpureæ luteæ.

Germen parvum , pentagonum , villosum : stylus pyramidalis villosus , albus : stigmata purpurascencia , revoluta.

Fructus : capsulæ quinque tomentosæ , monospermæ , basi acutæ : arista pollicaris candide barbata , tortilis in spiram.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Ψ. Habui floridum a mense aprili usque ad octob. Colitur in R. H. P.

Explic. fig. g Genitalia. h Fructus dehiscens.

355. GERANIUM QUERCIFOLIUM. *Lin. sup.* (Tab. CXIX. f. 1.)

G. Caule fruticoso : foliis sinuatis ; lobis rotundatis , crenatis , oblongis ; floribus umbellatis.

G. Calycibus monophyllis , foliis pinnatifidis , sinibus rotundatis , lobis crenatis , floribus umbellatis. *Lin. supp. 306.*

Caulis fruticosus, tortuosus, ramosus, quatuor pedum altitudinem superans.
Folia opposita, petiolis sæpe breviora, cordata, oblonga, profunde sinuata, sinibus rotundatis, lobis obliquis supra latioribus, subrotundis, crenatis. Stipulæ breves, latæ, semiamplexicaules, marcescentes.

Florum pedunculi communes axillares, solitarii, petiolis longiores: involucrium monophyllum in sex aut septem laciniis ovatas, concavas partitum: radii fere sex semipollicares.

Calyx monophyllus, oblongo-ovatus, laciniis reflexis.

Reliqua ut in præcedenti, at antheræ crocæ oblongiusculæ.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. *H.* Observatum a *D. Thunbergio*. Habui floridum a mense aprili usque ad august. Colitur in *R. H. P.*

Explicatio fig. a Genitalia ante floris expansionem. b Urceolus staminum flore aperto. c Germen, stylus, stigmata. d Capsula. e Semen. f. Idem auctum.

356. GERANIUM SCABRUM. *Lin.* (Tab. CVIII. f. 1.)

G. Caule fruticoso lignoso; foliis cuneiformitridis, multifidisque, scabris; umbellis paucifloris.

G. Calycibus monophyllis; foliis cuneiformibus, multifido-laciniatis, scabris; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n.º. 8.*

G. Calycibus monophyllis; foliis alternatis multifido-laciniatis, scabris; caule fruticoso. *Burm. Ger. n.º. 39. tab. 1.*

Caulis fruticosus, cortice rufescente, 3-4 pedalis, ramis rubescentibus, villis aliquot.

Folia alterna, aliquando opposita, petiolis subæqualia, cuneiformia, tri aut quinquefida, serrato-dentata, subtus sæpe concava, scabra. Stipulæ semiamplexicaules, acuminatæ, deciduæ.

Florum pedunculi, solitarii, oppositifolii: involucrium rubescens, quinquefidum: radii duo, tresve, vix pollicares.

Calyx profundissime partitus in quinque foliola apice aristata atque reflexa, subpubescentia, striata.

Corolla papilionacea, dilutissime rosea, ex quinque petalis, quorum duo superiora latiora, longiora atque reflexa, omniaque integerrima. Cuniculus mediocris longitudinis.

Staminum urceolus albus in decem laciniis partitus, quarum septem longiores totidem antheras sulfureas sustinent.

Germen pentagono-acuminatum, villosum: stylus albus: stigmata rubra.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, tomento ferrugineo tectæ, basi acutæ. Arista pollicaris, candide barbata, in spiram tortilis.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. *H.* *V. floridum* in *R. H. P.* a mense aprili.

Explicatio figuræ. a Corolla. b Flos integer. c Calyx. d Genitalia. e Stamina.

357. GERANIUM HIRSUTUM. *Burm.* (Tab. CI. fig. 2.)

G. Calycibus monophyllis; foliis ovatis, laciniatis, rugosis (hirsutis addo *Cav.*); radice turbinata. *Burm. Ger. n.º. 68. t. 2.*

G. Africanum humile, radice rapacea; foliis hirsutis, integris et dissectis;

floribus in umbellam dispositis, copiosis, ex purpura nigricantibus. *D. Scherard. Rai. hist. 3. p. 513. n^o. 31. apud Burm.*

Radix turbinata, perpendicularis, parte superiori incrassata, ac stipulis rubescentibus quasi imbricata.

Caulis nullus, nisi peduncalos aut scapos pro caule sumamus, in quibus folium unum reperitur prope umbellarum ortum.

Folia radicalia, numerosa, hirsuta, quorum aliqua ovata fere integra, alia laciniata et veluti pinnata, omniaque petiolata. Stipulae oblongae, basi petioli adnatæ, bifidæ.

Flores umbellati: scapus radicalis bipollicaris, ibique in tres aut plures pedicellos umbellatos partitus: involucria polyphylla, acuta, pilosa: radii 10-12 brevissimi.

Calyx monophyllus, laciniis acutis reflexis.

Corolla parva papilionacea, pallida in siccis (Burmanus vero dixit *purpureo nigricans*). Cuniculus brevis.

Fructus: capsulae quinque breves, tomentosæ, monospermæ: arista vix semipollicaris in spiram tortilis.

Habitat a l Caput Bonæ Spei. H. V. S. apud D. de Lamarck ex collectis Sonneratianis.

Obs. I. Burmanus in laudato opere ex Raj. sententia adjunxit: *In hujus plantæ foliis natura mira varietate ludit; alia enim integra sunt, alia variè dissecta.*

II. *Linnaeus hanc speciem haud recte conjunxit cum G. lobato.*

358. GERANIUM HISPIDUM. *Lin. supp. (Tab. CX. f. 1.)*

G. Calycibus monophyllis; caule fruticoso hispido; foliis palmatis, dentato-laceris, hispidis; umbellis compositis; involucriis reflexis. *Li. supp. 304.*

Caulis fruticosus, teres, ramosus, bipedalis et ultra, hispidus ut et tota planta.

Folia alterna, petiolata, petiolis longiora, palmata, atque partita in quinque præcipue laciniis acutas, crenato-dentatas, quæ quasi dilaceratæ apparent dentibus aliquot majoribus. Stipulae ovato-acutæ.

Florum pedunculi communes vix pollicares, axillares et terminales: umbellis compositis: involucrium ex quatuor aut quinque foliolis cuspidatis: radii tres-quinque.

Calyx ovatus, laciniis ovato-acutis, aristatis.

Corolla parva, papilionacea; petalis superioribus latioribus. Cuniculus brevis.

Fructus: capsulae quinque parvæ, arista tortili terminatæ, vix trium linearum.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. V. S. Communicatum a D. de Jussieu ex collectis Sonneratianis.

359. GERANIUM BICOLOR. *Jacq. (Tab. CXI. f. 1.)*

G. Caule brevi fruticoso: ramis teretibus: foliis oppositis, tripartitis, hirsutis; lobis crispis, dentatis: umbellis multifloris, speciosis, capitatis.

G. Calycibus monophyllis; foliis cordatis, tripartitis, lobatis, hirsutis: floribus capitatis: caule fruticoso. *Murray in edit 13, Systh. Veget. p. 614, n^o. 16. Jacq. in litt. Hort. v. 1, t. 39.*

Caulis fruticosus, tortuosus, cortice cinereo tectus, ramosus, ramis teretibus, villosis, subherbaceis, pedalibus.

Folia opposita, longe petiolata, glauca, scabra, trilobata, lobis crispis, dentatis, subplicato-arcuatis in alios divisis. Stipulae fere amplexicaules, acuminatae.

Florum pedunculus communis saepe oppositifolius aut lateralis, aliquando axillaris, folio longior: involucrium monophyllum multipartitum, marcescens: radii fere tredecim vix pollicares.

Calyx profunde quinquepartitus: laciniis ovatis, villosis, reflexis: striae oblitteratae.

Corolla subaequalis, papilionaceo-rotata, petalis superioribus paulo latioribus, omnibus integerrimis, limbo albo, maculisque saturate purpureis pulcherrime variegatis.

Staminum urceolus albus, decempartitus: dentes tres breves, steriles; reliqui septem longiores fertiles: antherae flavae-rubentes.

Gerimen pentagonum villosum: stylus basi lanatus, dehin incarnatus: stigmata revoluta.

Fructus.

Habitat. *Y. V. Floridum in R. H. P. mensibus junio et julio.*

Explicatio fig. a Genitalia. b Alterum ex petalis inferioribus. c Unum ex superioribus.

360. GERANIUM CAPITATUM. *Lin.* (Tab. CV. f. 1.)

G. Calycibus monophyllis; foliis lobatis, undatis, villosis; floribus capitatis; caule diffuso. *Lin. Sp. pl. n.º. 16. Burm. Ger. n.º. 41.*

G. Calycibus monophyllis, floribus capitatis; foliis cordatis, lobatis, crenatis, pilosis. *Hort. Cliff. 345.*

G. Malvae folio. *Riv. pentap. t. 99.*

G. Africanum frutescens, malvae folio laciniato odorato. *Herm. Lugd. 277. t. 278. Tourn. inst. p. 269.*

Caulis fruticosus, nodosus, ramosus, tripedalis, diffusus, tener, pilosus.

Folia alterna, petiolis subaequalia, cordata, subrotundo-quinquelobata, undata, crenata, tomentosa, odorem roseum spirantia. Stipulae ovato-acutae, basi latae, et quasi auriculatae, reflexae.

Flores capitati: pedunculus communis longissimus, teres, villosus, erectus, oppositifolius: involucrium multifidum, laciniis ovatis, marcescentibus: radii brevissimi 6-8 adeo ut flores sessiles.

Calyx ovatus, tomentoso-mollissimus, laciniis profundis, acuminatis. Striae parum patentis.

Corolla papilionacea subaequalis, petalis roseis variegatis, Cuniculus omnium brevissimus.

Staminum urceolus albus, in decem filamenta partitus ut in precedenti.

Gerimen villosum: stylus incarnatus: stigmata revoluta.

Fructus: capsulae quinque monospermae, ferrugineo-tomentosae, basi acutae.

Arista candide et longe barbata, in spiram tortilis. Semina nigra glabra.

*Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Habui floridum a mense junio usque ad novemb.
Colitur in R. H. P.
Explic. fig. a Fructus dehiscens. b Semen.*

361. GERANIUM LOBATUM. *Lin.* (Tab. CXIV. f. 2.)

G. Radice tuberosa : foliis ternatis , crassis , magnis , tomentosissimis : scapis radicalibus , divisis , umbelliferis.

G. Calycibus monophyllis , caule truncato , scapis subradicalibus , umbella composita. *Lin. Sp. pl. n.º. 29.*

G. Calycibus monophyllis ; tubis longissimis subsessilibus ; radice subrotunda ; foliis lobatis , crenatis , hirsutis. *Bur. Ger. n.º. 58. Roy Lugd. 350. n.º. 18.*

G. Africanum noctu olens , tuberosum , vitis foliis hirsutis. *Commel. H. Amst. 2. p. 123. t. 62.*

Ex radice crassa tuberosa magna scapi prodeunt et

Folia , quorum petioli teretes , crassi , villosi , in tres alios dividuntur , foliola aut , si mavis , lobos totidem sustinentes ; quæ sunt rursus lobata , crenata , convexo-recurva , mollia , tomentosa , subtus albicantia ; nervi valde protuberantes. Stipulæ latæ , acutæ , marcescentes.

Florum scapi ramosi , umbellas sustinentes ; involucra polyphylla : radii fere quindecim , plusquam pollicares.

Calycis lacinia oblongo-ovata.

Corolla patens , subæqualis ; petalis nigricantibus , basi flavescens , striisque rubris notatis.

Staminum urceolus decemdentatus : antheræ sæpe sex luteæ , ovatae.

Germen pentagonum : stylus ruber valde villosus ; stigmata revoluta.

Fructus.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. V. floridum in R. H. P. mensibus aprili et maio.

Explic. fig. d Corolla. e Petalum. f Calyx. g Germen , stylus. h Urceolus staminifer auctus.

362 GERANIUM TEREBENTHINACEUM. (Tab. CXIV. f. 1.)

G. Caule arborescente : foliis duplicato-trifidis , lobis latis , incisissimis , crenatis : umbellis multifloris.

Caulis orgialis ramosus , ramis teneris pubescentibus.

Folia alterna , quandoque opposita , subtus glabra , albicantia , desuper saturate viridia , citrum redolentia , præsertim tenera ; omniaque duplicato-trifida , lobis latis , incisissimis crenatis , marginibus subvillosis. Stipulæ latæ , emarginatæ aut acuminatæ , marcescentes.

Florum pedunculus communis solitarius , oppositifolius , petiolo longior : involucrum pentaphyllum : radii subquinque.

Calyx profunde partitus in quinque lacinias , nonnihil reflexas.

Corolla papilionacea , dilute purpurea , lineis saturatioribus notata in petalis superioribus , quæ sunt latiora et reflexa. Cuniculus brevis.

Staminum urceolus decemdentatus , dentibus brevibus ; horum tres castrati , septem antheriferi. Antheræ oblongiusculæ.

Reliqua ut in affinibus.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. V. floridum in R. H. P. mensibus maio et sequentibus.

Obs. *Varietatem vidi cujus folia odorem roseum gratissimum spirabant, aliam item terebenthinaceum.*

Explicatio figuræ. a Germen cum stylo intra calycem. b Genitalia. c Stamen auctum.

363. GERANIUM BIFLORUM. *Burm.*

G. Radice crassa nodosa : foliis binis lobato-incisis, acutis : pedunculis terminalibus bifloris.

Pelargonium bifolium et biflorum. Burm. Afric. 95. t. 37. f. 1.

G. Africanum noctu olens, flore ruberrimo, anemones folio latiore. *Pluk. Phyt. t. 186. f. 5. Tournef. inst. 269.*

E. radice crassa, nodosa, nigricante, fibrosa oritur hæc planta humilis, sesquispithamalis.

Folia petiolata, petalis longiora, bina (sic *Burmanus*, nihil addens de eorum oppositione, quamquam hoc verosimilius ex figuris citatis), prope flores solitaria; suntque lata, crassa, venosa, viridia, variis incisionibus in lobos divisa, denticulata.

Flores in ramorum summo bini (ternos video in *Plukenetii* figura Cav.)

Corolla amœne rubens, papilionacea, petalis duobus superioribus duplo fere majoribus, erectis; reliquis dependentibus.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Planta mihi ignota: quæ vero procedunt ex Joan. Burmani opere transcripti.

364 GERANIUM VARIEGATUM. *Lin. supp. (Tab. CXVIII. f. 3.)*

G. Foliis alternis, quinquelobis, lobis trifidis serrato-dentatis: stipulis latis cordatis: pedunculis bi-trifloris.

G. Glaucum, calycibus monophyllis, foliis alternis, tri-quinquepartitis; lobis trifidis, serratis; stipulis cordatis, ovatis; umbella pauciflora. *Lin. supp.*

P. 305.

Tota planta glaberrima et glauca.

Caules recti, (in sicco striati) parum ramosi.

Folia alterna, petiolis breviora, cordata, quinquelobata, lobis trifidis, serrato-dentatis, serraturis rubris: stipulæ cordatæ, latæ, rotundato-acuminatæ.

Florum pedunculi communes oppositifolii, solitarii, erecti: involucrum ex quatuor foliolis, ovato-acutis, conniventibus; pedicelli duo, tresve, plusquam pollicares.

Calyx profundissime partitus in quinque lacinias oblongas, acutas, striatas.

Corolla papilionacea, magna, ad flavum accedens (in sicco); petalis duobus superioribus longioribus, latioribus; variegatis lineis plumosis cœruleis: tribus reliquis angustioribus.

Staminum urceolus albicans; filamenta aliqua brevissima, reliqua longiora.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. V. S. Communicatum a D. de Lamarck.

Obs. *Exemplar habeo communicatum a D. Thunbergio nomine GERANII QUINQUELOBI, quod superiori ita est affine, ut pro varietate reputem. Tota enim planta est glauca et glaberrima, stipulis ornata latis: folia sunt ipsi quinqueloba, at minora quam in precedenti, lobique desinunt in acumen, dentesque aut serratura paucissima, quandoque nulla: flores sunt duplo minores: omnes denique hujus partes duplo aut triplo minores, quam in G. VARIEGATO.*

365. GERANIUM ARTICULATUM. (Tab. CXXII. f. 1.)

G. Radice squamosa, lignosa, articulata: foliis radicalibus, quinque lobis incis: umbella subquadriflora, radiis longissimis.

Radix ima lignosa, gracilis, articulata, dehin incrassata, squamosa.

Cauliculi aut potius scapi, articulati et quasi interrupti.

Folia radicalia longissime petiolata, cordata, rotundato-quinqueloba, lobis trifidis, mollia, villosa: stipulae orbiculatae, imbricatae, squamularum instar, rufescentes, villosae.

Florum scapi quasi interrupti, folio breviores, quinque pollicum: involucrium polyphyllum, foliolis acutis, brevibus, rubescentibus: radii 1-4 scapo paulo breviores.

Calyx profundissime partitus in quinque lacinias oblongas, acutas.

Corolla plusquam pollicaris, in sicco flava, papilionacea, petalis duobus superioribus longioribus, latioribus, lineis rubescentibus notatis.

Reliqua desiderantur.

Habitat ad Caput Bonae Spei. H. V. S. Communicatum a D. Thunbergio.

366 GERANIUM CRISPUM. *Lin.* (Tab. CIX. f. 2.)

G. Caule fruticoso: foliis cordatis, lobatis, dentatis, crispis: stipulis cordatis: pedunculis uni-bifloris.

G. Calycibus monophyllis; foliis reniformibus, crispis, scabris; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n.º. 7.*

G. *Hermaniaefolium*, calycibus monophyllis, caule fruticoso; foliis lobatis, crenatis, subcucullatis; stipulis cordatis, involucriisque hispido-muricatis, *Lin. supp. n.º. 305.*

Caulis lignosus, cortice fusco, ramosus, ramis plurimis tomentoso-scabris, sesquipedalis.

Folia alterna, in ramis disticha, petiolis subaequalia; inferiora subreniformia, quinquelobata; reliqua trilobata, lobis plicatis, dentatis, crispis, melissae odore. Stipulae cordatae et veluti imbricatae.

Florum pedunculi oppositifolii, foliis longiores, uniflori, aut biflori. Involucrium ex quatuor foliolis ovatis, aristatis, conniventibus.

Calyx ovatus, laciniis quatuor reflexis; superiore latiore erecta.

Corolla pollicaris, dilute violacea, papilionacea, patens; petalis superioribus subrotundis reflexis, striis saturatoribus.

Staminum urceolus purpurascens; filamenta septem antherifera longiora, tria reliqua breviora: antherae incarnatae.

Aristae breves. Reliqua ut in affinis.

*Habitat ad Caput Bonæ Spei. Y. Habui floridum a mense maio usque ad octob
Colitur in R. H. P.*

Obs. *Linnæi filius in su plemento perperam hanc speciem ad GER. HERMANIÆ-
FOLIUM reduxit, quod dicente Linnæo in Sp. pl. a CRISPO differt foliis minime
divisis. Odor praterea melissæ, G. CRISPI propius, ac foliorum lobi, sufficien-
ter hoc ab HERMANIÆFOLIO sejungunt. Hæc mea opinio roboratur amplius ex
specimine capensi quod præ oculis habeo a D. Thumbergio misso, hoc nomine
Ger. hermaniafolium Lin. supp. quod idem omnino est cum hac mea planta,
licet non ita villosum, quorum differentiam a cultura repetendam esse omni-
bus in confesso est.*

367. GERANIUM EXSTIPULATUM. (Tab. CXXIII. f. 1.)

G. *Caule fruticoso, ramis erectis: foliis alternis duplicato-trilobis, crenatis,
glabris, exstipulatis.*

Tota planta glaberrima et nonnihil glauca.

Caulis fruticosus, ramis teretibus, erectis, pedalis.

*Folia alterna, petiolis breviora, in tres lobos præcipue partita, qui sunt iterum
apice trilobi, crenati: tenera nonnihil cucullata, dehin patentia. Stipulæ adeo
minimæ ut conspici nequeant.*

*Nondum mihi floruit neque in R. H. P. cui data fuit nuperrime hæc nova spe-
cies nomine GERANI SUAVIS, quam ex stipularum defectu designandam duxi
novo nomine. Ubi primum floreat, incidetur, atque cum Ger. alihæoide
prodit.*

368. GERANIUM FULGIDUM. *Linn.* (Tab. CXVI. f. 2.)

G. *Calycibus monophyllis; foliis tripartitis incis, intermedia maiore; umbel-
lis geminis: caule fruticoso, carnos. Lin. Sp. pl. n.º. 1. Burn. Ger. n.º. 52.*

G. *Africanum folio alcææ, flore coccineo fulgidissimo. Dill. Hort. Elth. t.
130. f. 137.*

G. *Surinamense, chelidonii folio, flore coccineo, petalis æqualibus. Tilli.
Pis. pag. 68. t. 26.*

Caules fruticosi, carnosi, tortuosi, pedales.

*Folia numerosa, petiolis longiora, mollia, tripartita, incisa, lacinia media
productiore, crenato-dentata, tempore florentiæ emarcida. Stipulæ acuta,
per basim petioli decurrentes.*

*Flores umbellati, umbellis duabus, aut tribus; pedunculus harum communis
longus, tomentosus, terminalis: pedicelli pollicares, tres aut quatuor.*

*Calyx ovatus, basi utrimque gibbosus, tomentosus, laciniis quatuor reflexis,
superiore latiore erecta. Cuniculus per totum pedunculum excurrent.*

*Corolla saturate kermesina, supina, papilionacea; petalis duobus superioribus
lterioribus, longioribus, reflexis.*

Reliqua ut in affinis.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Y. Habui floridum mense julio. Colitur in R. H. P.

Obs. *Specimen capense vidi siccum apud D. Thouin, cujus folia sunt valde to-
mentosa, rufescentia atque profundius fissa, quod tamen ex facie atque florum
colore atque figura ad hoc tanquam varietatem reduco.*

Haud adsentior Cl. Burmano ; credenti Geranium fulgidum gibbosum atque carnosum unam eandemque plantam initio fuisse. Omnia etenim colui atque diversa reperi, foliis, caule, floribus.

369. GERANIUM BIFOLIUM. *Burm.* (Tab. CXV. f. 3.)

G. Calycibus monophyllis ; foliis binis, cordato-angulatis, radice rapacea. *Bur. Ger. n^o. 73.*

Pelargonium rapaceum bifolium, floribus maculatis. Ioan. Burm. afr. 90. t. 35. f. 1.

G. Africanum humile, latifolium, tuberosa radice, floribus incarnatis. *Herm. parad. Bat. app. et pl. afric. p. 12.*

Radix subrotunda basi angustior atque longior, fusca, esculenta.

Caulis nullus.

Folia duo cordata, angulata, dentato-crenata, lata, nervosa, viridia, plana ; petiolis uncialibus longiora.

Scapus simplex spithameus, purpurascens, erectus, umbella terminatus : involucrum ex pluribus foliolis oblongis, acutis, purpurascentibus, instar coronæ.

Radii subseptem, sesquiunciales.

Calyx ovato-oblongus, laciniis acutis.

Corolla papilionacea, calyce maior, incarnata ; petalis duobus superioribus majoribus, erectis, macula sanguinea oblonga notatis, reliquis angustioribus, dependentibus.

Fructus : capsulae quinque, quæ nedum maturæ aristis longis pyramidi inhaerent more congenerum.

Habitat ad Caput Bone Spei. H. Appellatur ab incolis HEYNTAME. Planta mihi ignota ; quæ vero præcedunt ex Burmano deprompsi.

370. GERANIUM STIPULACEUM. *Lin. supp.* (Tab. CXXII. f. 3.)

G. Caule brevissimo imbricato : foliis sublobatis, crenato-incisis : stipulis apice bifidis, lanceolatis, reflexis : florum pedicellis longissimis.

G. Acaule, calycibus monophyllis ; foliis oblongis, incisis, serratis : stipulis subulatis, rigidis, albis. *Lin. supp. 306.*

Caulis pollicaris, crassus, imbricatus. Stipularum veterum rudimentis coriaceis, rotundatis, rubescentibus.

Folia plura, petiolis breviora, villosa, sublobato-incisa, dentata, apice obtusa : stipularum bases latæ, coriaceæ, caulem imbricantes, et prope petioli initium bifidæ ; laciniis subulatis, rigidis, albicantibus, reflexis.

Florum scapus ex summo caule herbaceus, sulcatus, 3-4 pollicaris : involucrum polyphyllum : foliolis lanceolatis, brevibus, villosis : radii sæpe quatuor longitudine fere scapi, erecti.

Calyx profunde quinquepartitus, laciniis ovatis, reflexis.

Corolla in sicco lutescens, papilionacea, petalis superioribus longioribus, latioribus, reflexis.

Habitat ad Caput Bone Spei. H. V. S. Communicatum a D. Thumbergio.

371. GERANIUM TRIFIDUM. *Burm.* (Tab. CXV. fig. 1.)

G. Calycibus monophyllis : foliis ternis, trilobis, et trifidis; radice rapacea.

Burm. Ger. 74.

Pelargonium rapaceum foliis ternis, trilobatis, et tridentatis; flore sanguineo.

Burm. afr. p. 91. *t.* 35. *f.* 2. *Petiv. Gazoph.* 84. *f.* 11.

G. Africanum noctu olens, flore rubro, anemones folio angustiore. *Pluk. phyt.*

t. 186. *f.* 6. *Tournef. inst.* 269.

Radix subrotunda, rapacea, nigricans, esculenta.

Caulis nullus.

Folia terna, crassa, triloba, lobis superne trifidis, medio productiore.

Scapus solitarius, teres, spithameus : involucrium ex foliolis angustis, acutis; coronam efformantibus : radii tres, pollicares.

Calyx ut in **G.** bifolio.

Corolla papilionacea, sanguinea.

Habitat ad Caput B. Spei. **H.** *Planta mihi ignota.*

372. **GERANIUM TERNATUM.** *Lin. supp.* (Tab. CVII. f. 2.)

G. Caule fruticoso, hispido : foliis oppositis, ternatis; foliolis cuneatis, inciso-trifidis, serratis, scabris.

G. Calycibus monophyllis; foliis ternatis, foliolis lobatis, lobis dentatis : floribus subumbellatis; caule hispido. *Lin. supp.* 306.

Caulis suffruticosus, dichotomus, teres, purpurascens, villosus, erectus, bipedalis et ultra, cujus rami simplices, breves, cauli similes.

Folia opposita, petiolata, ternata, rigida, strigoso-scabra, pollicaria : lobi inciso-trifidi, serrati, subplicati; serraturis purpurascentibus; petioli villosi foliorum longitudine. Stipulae binæ, aut plures, ovato-acutæ, concavæ, lineam longæ.

Flores laterales, et terminales umbellati : involucra lanceolata, purpurascentia, subciliata.

Calyx ciliato-pilosus.

Corolla albo-incarnata, petalis oblongis, integris, æqualibus, basi stria duplici purpurea.

Stamina antherifera videntur septem.

Stigmata quinque setacea.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. **H.** *V. S. Communicatum a D. Thumbergio, cujus est etiam supradicta descriptio.*

373. **GERANIUM LÆVIGATUM.** *Lin. supp.* (Tab. CXXI. f. 1.)

G. Caule fruticoso, glabro, tubescente : foliis ternatis, sublinearibus, trifidis, glaucis : pedunculis bifloris.

G. Glaucum, calycibus monophyllis, caule erecto; foliis pinnatifidis; laciniis integris, lanceolatis. *Lin. supp.* 306.

Tota planta glaberrima.

Caulis fruticosus, rubescens, ramis aliquot.

Folia glauca, opposita, petioli longiora, ternata, foliolis sublinearibus, sæpissime trifidis. Stipulae subulatae rubrae.

Florum pedunculi solitarii, folio longiores : involucrum ex tribus aut quatuor

foliolis lanceolato-acutissimis : radii duo (aliquando unicus) sesquipollicares.

Calyx oblongus , laciniis profundis , acutis , reflexis ; superiore latiore , erecta.
Corolla papilionacea albido-flavescens (in sicco) petalis superioribus longioribus , latioribus , et prope unguis lineis rubescentibus. Cuniculus longitudine pedicelli.

Fructus : capsulæ quinque , monospermæ , tomentosæ , basi acutæ , arista pollicari tortili terminatæ.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. V. S. Communicatum a D. Thumbergio.

374. GERANIUM ALCEOIDES. *Lin.*

G. Calycibus monophyllis : foliis ternatis , trifidis , laciniatis ; caule herbaceo ; hirsuto. *Lin. Sp. pl. n.º. 22.*

G. Pedunculis multifloris , calycibus pentaphyllis ; foliis lyrato-multifidis , cotyledonibus lobatis. *Burm. Ger. n.º. 36.*

Planta annua herbacea , cujus radix fibrosa.

Caules longi , prostrati , rugosi.

Folia cotyledonia longe petiolata ac lobata , laciniis quinque profunde dissectis : caulina petiolata , tenuius dissecta , seu multifido-lyrata , cum caule terræ incumbentia.

Pedunculi verticales , longi , quinque sexve flores umbellatim gerentes , quorum petala irregularia , bina superiora majora , tria inferiora minora , purpurea.

Calyces quinquefidi acuti.

Rostra longa , tenuiter acuminata.

Habitat in Africa. Planta mihi ignota , quæ tamen cum meo GERANIO LACINIATO in multis convenit , adeo ut hoc pro G. ALCEOIDE initio sumpserim : at corolla irregularis minime LACINIATO convenit , quamquam utraque pentandra sint.

Obs. D. Burmanus dixit annuam hanc plantam , vivacem Linnaeus.

375. GERANIUM ABROTANIFOLIUM. *Lin. supp. (Tab. CXVII. f. 1.)*

G. Caule fruticoso : foliis minimis ternatis trifidis ; laciniis linearibus : floribus umbellatis.

G. Calycibus monophyllis ; foliis multifidis , linearibus , incanis. *Lin. supp. 304.*

Caulis fruticoso-lignosus , cortice cinereo tectus , ramosus ; ramis a rudimentis stipularum atque petiolorum quasi aculeatis.

Folia numerosa , petiolata , vix trium linearum diametri , limbo expanso reniformia , ternata ; foliolis sæpe trifidis , linearibus , obtusis. Stipulæ : setulæ duæ brevissimæ basi petioli ampliati , compressi , veluti cornua infixæ.

Florum pedunculi communes versus ramulorum apices , plusquam pollicares : involucrum multifidum , laciniis lanceolatis : radii 2-5 semipollicares.

Calyx ovatus villosus , laciniis acutis.

Corolla calyce major , papilionacea , purpurascens.

Capsularum aristæ semiunciales.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. V. S. Communicatum a DD. Thouin et Thumberg. qui primus reperit et examinavit quemadmodum et alia innumera.

Obs. Varietatem vidi apud D. de Jussieu ex adsportatis a D. Sonnerat, in qua foliorum lacinia erant paulo latiores, corolla saturate cærulea, atque umbellæ brevis pedunculatæ. Ramulum sistit littera V dicte tabulæ: F vero, folium expansum, cum stipulis.

C. Folia pinnata.

376. GERANIUM PINNATUM. *Burm. (Tab. CXV. f. 2.)*

G. Acaule: radice turbinata tuberosa: foliis pinnatis: foliolis parvis ovatis subsessilibus.

G. Calycibus monophyllis, foliis pinnatis, foliolis ovatis. Burm. Ger. n°. 66.

G. Prolificum pinnatum. γ. Lin. Sp. pl. n°. 27.

Radix turbinata, tuberosa, intus albida, extus nigricans, edulis.

Caulis nullus.

Folia radicalia, erecta, pinnata, petiolis nudis tenuiter villosis, quatuor aut quinque paribus foliorum cum impari terminatis: hæc subsessilia, ovata, minima, superne viridia, subtus tomentosa.

Flores in scapis radicalibus spithameis, umbellati: involucrium ex quinque foliolis oblongo-acutis: radii vix pollicares, numero 2-7.

Calyx monophyllus, oblongus, quinquepartitus, laciniis acutis.

Corolla albicans, papilionacea; petalis duobus superioribus longioribus, latioribus, reflexis, plumulla sanguinea variegatis; reliquis obtusis brevioribus, deflexo-patulis.

Stamina antherifera quinque: antheræ ovato-oblongæ.

Fructus: capsulæ quinque basi acutæ, terminatæ arista pollicati.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. V. S. apud D. de Jussieu, figuratum vero a D. Sonnerat apud D. de Lamarck.

Obs. Cl. Linnæus hanc speciem atque sequentem cum G. prolifero conjunxit.

G. Tuberosum xerampelinum, foliis viciæ, quod ex codice mss. Oldenlandii citat atque describit Laur. Nic. Burmanus, ut incertum relinquo; quod tamen ad hanc aut ad sequentem speciem spectat. Conferantur meæ tabulæ.

377. GERANIUM ASTRAGALIFOLIUM. (Tab. CIV. f. 2.)

G. Radice crassa: foliis pinnatis, foliolis ovato-acuminatis, latioribus, cinereis, hirsutis: scapis subradicalibus, elongatis, umbelliferis.

G. Africanum astragalifolio. Commel. plant. exotic. p. 53. f. 3.

G. Pinnatum. Burm. Ger. n°. 66. Lin. n°. 27.

Radix pollicem crassa, sublutea, descendens, parum fibrosa.

Caulis vix ullus, nisi scapos dixeris, qui aliquando aphylli sunt, aliquando foliis instructi.

Folia pinnata, longa, sæpe cum impari, media eorum longitudine nuda, foliola sub-16, subsessilia, ovato-acuta, cinerea, hirsuta, atque multo majora quam in præcedenti.

Flores umbellati : scapus foliis longior : involucreum multipartitum ; foliolis ovato-acutis : radii semiunciales , fere sex.
 Calyx profunde quinquepartitus , lacinia superiore , latiore.
 Corolla papilionacea , albo-rubens , striis saturatioribus.
 Reliqua desiderantur.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. W. Fragmentum vidi siccum apud D. de Jussieu : reliqua mutuavi ex Commelini opere citato.

378. GERANIUM CAPILLARE. (Tab. XCVII. fig. 1.)

G. Foliis oppositis pinnatis , pinnulis linearibus : pedunculis axillaribus solitariis , subumbellatis.

G. Hermanioides , pedunculis multifloris , floribus linearibus ; foliis pinnatis , foliolis linearibus subfalcatis , caule fruticoso. *Burm. Prodr. Floræ Capensis ?*

Planta fruticosa at pusilla , quam magnitudine naturali sistit figura.

Caules duriusculi trium fere pollicum.

Folia ima numerosa , longe petiolata , petiolis capillaribus ; pinnata , pinnulis linearibus , acutis , pubescentibus : stipulæ acutissimæ.

Florum pedunculi , folio longiores , axillares , uni-bi-triflori : involucreum profunde partitum in quinque foliola erecta , acuta.

Calyx ovatus , profunde partitus in quinque lacinias acutas , pubescentes ut et tota planta.

Corolla papilionacea , rubescens.

Reliqua deerant.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. V. S. Communicatum a D. Thunbergio , qui id reperit.

Obs. *Burmani plantam in Prodromo citatam nullibi vidi : ad hanc speciem interea cum dubio refero. Ille addidit , hujus habitum esse Hermaniæ pinnatæ Plukenetii mantiss. p. 50. t. 344. f. 3. inflorescentiam vero ut in G. scabro.*

379. GERANIUM HIRTUM. *Burm.* (Tab. CXVII f. 2.)

G. Caule brevi hirtio : foliis duplicato-pinnatis : laciniis capillaribus ; umbellis pluribus terminalibus , elongatis.

G. Calycibus monophyllis , corollis papilionaceis , foliis pinnatis multifidis , caule villosa. *Burm. Ger. n.º. 64.*

G. Calycibus monophyllis ; foliis duplicato pinnatifidis , laciniis filiformibus. *Roy. Lugd. 354. n.º. 33.*

Planta humilis , ac villosa-hirta , cujus radix lignosa , perpendicularis , cortice nigricante , atque stipularum reliquiis apice squamosa est.

Folia radicalia numerosa , bipinnata , pinnulis capillaribus numerosis : stipulæ ad basim petioli nudi quasi adnatæ , bifidæ , acutæ.

Caulis brevis bipollicaris , apice gerens folia bina opposita ; ex quo umbellæ prodeunt sesquipollicares.

Flores umbellati : involucreum polyphyllum ; foliolis lanceolatis , acutis ; radii breves , fere quatuor.

Calyx ovatus, quinquefidus.

Corolla papilionacea, calyce dupla, dilute rubens (in sicco.)

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, basi acutæ; arista pollicaris.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. ¶. V. S. Communicatum a D. de Lamarck, ex collectis Sonneratianis.

Obs. *In multis ex Burmani sententia cum sequenti convenit, a qua differt foliatura villosa lineari, et radice lignosa; quibus addi potest, quod hæc species caulescens sit, sequens vero acaulis.*

380 GERANIUM ARENARIUM. *Burm.*

G. Calycibus monophyllis, foliis pinnatifidis, foliolis oblongis, inciso-serratis, caule nullo. *Burm. Ger. n^o. 63.*

G. Monomotapense arenarium, flore miniato, rubicundo, caule brevissimo, foliis myrrhidis albæ, seu pimpinellæ sanguisorbæ, hirsutæ. *Herb. Oldenl.*

α. G. Africanum humile, adjanti foliis. *Herm. parad. Bat. 180. Raj. hist. 3. p. 511. n^o. 9.*

Planta herbacea, acaulos, cujus radix simplex, perpendicularis, longa, vix fibrosa.

Folia pinnatifida oblongo-ovata; foliola incisa, serrata.

Scapi plerumque terni vel bini ad foliorum ortum excrescunt, folia superantes, flores quatuor vel quinque producentes, pedicellatos, irregulares, ex rubro violaceos.

Calyx aristatus.

Rostra longa, tenuia, per maturitatem superne dehiscencia.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. Nullibi vidi hanc plantam: quæ vero præcedunt ex Burmani opere laudato transcripsi.

381. GERANIUM PROLIFERUM. *Burm.* (Tab. CXX. fig. 3.)

G. Calycibus monophyllis: foliis pinnatim divisis; foliolis tri et quinque partitis, linearibus: radice turbinata. *Burm. Ger. n^o. 70. tab. II.*

G. Africanum, umbellatis floribus carneis, duabus maculis nigricantibus insignitis, foliis tenuissimis, radice rapacea. *D. Scherard. Raj. hist. 3. p. 513. n^o. 32.*

G. Africanum humile, radice rapacea; foliis tenuiter dissectis, glabris; floribus in umbellam dispositis, carneis, striatis. *Raj. ibid. n^o. 30.*

α. G. Tuberosum idem, foliis angustissimis, lineari-trifidis. *Herb. Oldenland.*

Planta vix palmaris, cujus radix turbinata, fungosa, superne lignosa.

Folia radicalia pinnata, *peucedani* instar in tenues fere capillares lacinias nunc bi-nunc tripartitas, quandoque integras.

Scapus ex summa radice prodit, foliis longior, solitarius, postea in varios quasi ramos partitus, quorum quisque umbellam sustinet: involucra polyphylla, foliolis angustis acutis. Radii 3-6 trium linearum.

Corolla papilionacea, carnea, maculis nigricantibus variegata.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. ¶. Nullibi vidi hanc plantam. Descriptionem et figuram desumpsi ex Burmani opere.

382. GERANIUM PINNATIFIDUM. *Burm.* (Tab. CXX. f. 1.)

G. Calycibus monophyllis ; foliis duplicato-pinnatifidis ; laciniis linearibus ; obtusis ; radice turbinata.

G. Africanum , foliis hirsutis , longis , tenuiter dissectis , flore albo , punctis purpureis , radice tuberosa. *Herm. pl. afr. p. 11.*

Radix turbinata ; caulis nullus nisi scapum dixeris.

Folia duplicato-pinnata , linearia , apice obtusa , glabra.

Flores umbellati : radii plures (in figura Burmani 11) , breves.

Reliqua desiderantur.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Nullibi hanc plantam vidi , nisi in laudato Burmani opere.

Obs. *Hic auctor asserit hanc speciem ita cum G. hirsuto convenire ut dubius hæserit num pro varietate haberet ; quum utrisque sit eadem forma externa , idemque crescendi modus. At ego , inspectis figuris quas dedit in suo opere Burmanus , ab hujus opinione recedendum arbitror , quia earum forma externa diversissima est , quod mea sententiâ nullus inficiabitur.*

383. GERANIUM RAMOSISSIMUM. *Burm.*

G. Caule frutescente : foliis bipinnatis ; pinnulis subrotundis glabris.

Pelargonium frutescens ramosum , foliolis plurimis subrotundis. *Joan. Burm.*

Decad. plant. afric. p. 89. t. 34. f. 2.

Caulis fruticosus ramosissimus.

Folia pinnata ; foliolis oppositis subrotundis , glabris , minimis , subsessilibus.

Flores umbellati terminales : umbella ut plurimum triflora.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H.

Nullibi vidi hanc plantam , cujus descriptio desumpta est ex opere supra laudato.

384. GERANIUM MINIMUM. (Tab. CXXI f. 3.)

G. Foliis pinnatis , inferioribus et radicalibus cespitosis ; caulinis oppositis : floribus terminalibus umbellatis.

Planta pusilla , glabra , cujus integram magnitudinem sistit tabula.

Caules filiformes trium aut quatuor pollicum.

Folia prope radicem numerosa , cespitosa , longe petiolata (habita ratione ad illorum magnitudinem) , pinnata , et aliquando bipinnata , pinnulis obtusis minimis : caulina opposita petiolis breviora. Stipulæ ovata.

Flores umbellati terminales : involucrum ex quatuor aut quinque foliolis acutis : radii subquatuor.

Calyx parvus profunde partitus in quinque lacinias acuminatas.

Corolla cuniculus duarum linearum pedicello paulo brevior.

Fructus ; capsulæ quinque parvæ , monospermæ : arista vix semipollicaris , candida barbata.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. V. S. Communicatum a D. Thumberg.

385. GERANIUM DAUCIFOLIUM. *Murray.* (Tab. CXX. fig. 2.)

G. Radice globosa, tuberosa: foliis hirsutis tripinnatis, pinnulis alternis, foliolis minimis ut plurimum lanceolatis.

G. Calycibus monophyllis; foliis hirtis, alternatim tripinnatis; foliolis pinnatifidis. *Murr. Comm. Gott. 1780. p. 13. t. 4. optima.*

G. Africanum folio staphyllini. *R. vin. flor. irreg. pentag. t. 109.*

G. (Flavum) calycibus monophyllis, foliis alternatim pinnatis, foliolis pinnatifidis, scapis radicalibus hirtis, aphyllis. *Burm. Prodr. Floræ Cap. p. 19. Linn. Sp. pl. n.º. 20.*

Radix tuberosa magna fibrillis aliquot.

Caulis vix ullus nisi scapos dixeris, sæpe foliosus duabus scilicet foliorum oppositionibus.

Folia radicalia longissima, hirsuta, tripinnata, pinnulis alternis, foliolis minimis sublanceolatis: caulina opposita. Stipulæ subcordato-acuminatae.

Flores in scapis pedibus nudis (parte inferiori excepta) umbellati. Involucrum polyphyllum, foliolis ovato-lanceolatis. Radii subdecem sesquipollicares.

Calyx profundissime partitus in quinque lacinias acuminatas.

Corolla papilionacea, albido-pallens, petalis obtusis reflexis, quorum superiora duabus lineis purpureis notantur in basi: cuniculus longitudine fere pedunculi.

Reliqua ut in sequenti.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Habui floridum mense junio. Colitur in R. H. P.

Multiplicatur facillime si ex radice pars vel minima amputetur que terra haud profunde infixâ intra duos menses folia profert.

Obs. Quamquam hanc plantam pro G. FLAVO Linnæi habeam, diverso tamen nomine Botanicis offero quia D. Murray nuperrime eam distinxit nomine G. DAUCIFOLII, addita perfectissima figura quam jam dudum dedit Augustus Quirinus Rivinus in opere citato.

386. GERANIUM TRISTE. *Lin. (Tab. CVII. fig. 1.)*

G. Radice tuberosa: foliis longissimis, bipinnatis, hirtis: floribus umbellatis noctu suave olentibus: corollis subæqualibus atro-maculatis.

G. Calycibus monophyllis sessilibus, scapis bifidis monophyllis. *Lin. Sp. pl. n.º. 30. Miller. dict. n.º. 35.*

G. Calycibus monophyllis; tubis longissimis, subsessilibus; radice subrotunda; foliis pinnatifidis; foliolis pinnatis, multifidis. *Burm. Ger. n.º. 57.*

G. Triste sive Indicum noctu olens. *Park. theat. 709. Tourn. inst. 230.*

G. Triste. *Corn. Canad 109. t. 110.*

G. Noctu olens Æthiopicum, radice tuberosa, foliis myrrhidis latioribus et angustioribus. *Breyn. Cent. p. 126. t. 58.*

Radix ex variis tuberculis nigricantibus, subovatis, utrimque in filum angustatis, quo invicem adnecuntur.

Caulis teres, decumbens, villosus, ut et tota planta.

Folia longissime petiolata, petiolis teretibus; in caule opposita, bipinnata,

- pinnulis sæpe alternis, aliquando decurrentibus, aliisque minimis interpositis, crenato-acutis. Stipulæ subovatae, marcescentes.
- Florum pedunculi communes teretes, pedales, axillares: involucrum multipartitum, concavo-acutum: radii octo, aut plures, sesquipollicares.
- Calyx ovatus, laciniis ovato-concavis, dehin reflexis.
- Corolla papilionacea, petalis subæqualibus, viride lutescentibus, maculis atris magnis centralibus, noctu suave olentibus: duo superiora erecta tribus reflexis. Cuniculus longitudine fere pedunculi.
- Staminum urceolus decempartitus: dentibus tribus brevibus sterilibus; septem longioribus, toridem antheras luteas sustinentibus.
- Germen parvum pentagonum: stylus basi valde villosus, stigmata revoluta.
- Fructus: capsulæ quinque tomentosa, oblonga, basi acutissima: arista bipollicaris candide barbata. Semina solitaria, cinerea, glabra.
- Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Habui floridum a mense aprili usque ad sept. in diversis individuis. Colitur in R. H. P.*
- Explicatio figuræ. *a* Urceolus staminifer expansus. *b* Stamen auctum. *c* Capsula cum arista. *d* Semen.

387. GERANIUM APPENDICULATUM. *Lin. Supp.* (Tab. CXXI. f. 2.)

- G. Radice rapacea rufescente: foliis radicalibus tomentoso-lanatis, duplicato-pinnatis: stipulis longe decurrentibus, apice latissimis: umbellæ radiis scapo subæqualibus.
- G. Calycibus monophyllis; foliis radicatis, supra decompositis, hirsutis; petiolis appendiculatis: umbella scapo longiore. *Lin. Supp.* 304.
- Radix carnosæ, rapacea, rufescens.
- Caulis nullus.
- Folia longe petiolata, duplicato-pinnata, pinnulis brevibus, tomentoso-lanata. Stipulæ basi petioli in pollicis longitudinem adnatæ atque apice in duos lobos latos, cordato-acutos, desinentes, ibique petiolum quasi appendiculatum amplectentes.
- Flores umbellati: scapi plerumque duo, sulcati, erecti, tomentosi, foliis breviores, ex cujus apice nascuntur radii decem, scapo paulo breviores: involucrum polyphyllum, foliolis subulatis tomentosis.
- Calyx profunde partitus in quinque lacinias acutas.
- Corolla violacea.
- Habitat in Africa. H. V. S. Communicatum a D. Thumbergio.*
- Obs. *Incertus de staminum numero, atque de longitudine aristarum (quæ omnia desiderantur in meo exemplari) Botanicis determinanda relinquo: interea tamen hic prodit hæc planta ab omnibus hucusque notis diversa stipularum appendicibus.*

388. GERANIUM RADULA. *R. H. P.* (Tab. CI. f. 1.)

- G. Caule fruticoso: foliis profundissime multifidis; laciniis linearibus pinnatis: pedunculis paucifloris.
- G. Revolutum. *Jacq. Miscel. vol. 3. tab. 133.*
- Caulis fruticosus, cortice cinereo tectus, ramosus, bipedalis.

Folia numerosa, alterna, petiolis subæqualia, profundissime quinquefida: laciniis pinnatis et bipinnatis linearibus. Stipulæ lato-acuminatæ, marcescentes.

Florum pedunculi axillares, solitarii 1-2-3 floris: involucrium sæpius quinquefidum marcescens.

Calyx monophyllus ovato-oblongus, pubescens, profunde partitus in quinque lacinias ovatas.

Corolla papilionacea rosea lineis rubris, petalorum unguibus albis; illorum duo superiora reflexa latiora. Cuniculus brevis.

Staminum urceolus albus, decempartitus: filamenta quinque longitudine fere corollæ antherifera; reliqua alternantia, sterilia, atque dimidio breviora. Antheræ saturate carneæ, ovato-compressæ.

Germen minimum ovato-pentagonum: stylus pyramidalis: stigmata villosa, purpurea, revoluta.

Fructus: capsulæ quinque villosæ, monospermæ, basi acutæ: arista barbata, tortilis, quatuor fere linearum.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei. \mathfrak{H} Habui floridum a mense aprili usque ad septemb. Colitur in R. H. P.

Obs. Tota planta odorem terebenthinum graviter spirat. Folia in plantis teneris sunt sæpe tripollicaria; at in vetustioribus ex quibus iconem desumpsi sunt triplo minora, et numerosiora.

Explicatio figuræ. a Floris capitulum. b Calyx. c Urceolus staminifer sectus. d Germen, stylus, stigmata.

389. GERANIUM FRUTICOSUM. (Tab. CXXII. f. 2.)

G. Caule fruticoso, lignoso: foliis oppositis bipinnatis: pedunculis bifloris.

Caulis fruticosus, lignosus, valde ramosus, cortice fusco vestitus, bipedalis?

Folia opposita, petiolis longiora, bipinnata, pinnulis principalibus oppositis, utrimque tres cum impari. Stipulæ breves ovate.

Flores axillares, pedunculis folio longioribus bifloris.

Calyx profundissime partitus in quinque lacinias acutas.

Corolla papilionacea, dilute violacea, circa faucem saturatius. Petalis duobus superioribus fere duplo longioribus, latioribus, reflexis.

Cuniculus semipollicaris, per integram fere pedunculi longitudinem excurrens.

Capsulæ tomentoso-rufæ: arista fere pollicaris, barbata, tortilis.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. \mathfrak{H} . V. S. Communicatum a D. Thouin.

Obs. Caulis erectus ac lignosus abunde distinguit hanc speciem a sequenti cum varietatibus.

390. GERANIUM CORIANDRIFOLIUM. Lin. (Tab. CXVI. f. 1.)

G. Ramis reclinato-erectis, nodosis: foliis bipinnatis, linearibus: umbellis paucifloris.

G. Calycibus monophyllis; foliis bipinnatis, linearibus, squarrosis; caule herbaceo, læviusculo. Lin. Sp. pl. n^o. 25.

G. Coriandrifolio. Rivin. pentap. t. 101. 102.

G. Africanum, coriandrifolio, floribus incarnatis, minus. Herm. Lugd. 279. t. 280. Tournef. inst. 270.

G. Myrrhifolium calycibus monophyllis, corollis papilionaceis, vexillo dipetalato, foliis bipinnatis. *Burm. Ger. n^o. 59.*

G. Æthiopicum, myrrhidis folio tertium, flore magno striato. *Breyn. Cent. 1. p. 129. t. 59.*

G. Africanum myrrhidis folio, flore albicante, radice rapacea. *Commel. Hort. Amst. 2. p. 125. t. 63.*

Folia cotyledonia, ovato-oblonga, integerrima.

Caulis brevis ex quo plures rami pedales, teretes, rubescentes, articulato-nodosi, nodis incrassatis, flexuoso-erecti.

Folia inferiora opposita, superiora sæpissime alterna, inæqualiter petiolata, bipinnata, pinnulis linearibus. Stipulæ lato-acuminatæ.

Florum pedunculus communis oppositifolius, erectus: involucrium sexpartitum; radii 3-4 breves.

Calyx oblongus striatus; laciniis acutis, breviter aristatis.

Corolla dilute carnea, papilionacea; ex quinque aut quatuor aliquando petalis: duo superiora sunt latiora, reflexa, striata; reliquis linearibus sine striis.

Staminum urceolus decemfidus; dentibus alternis brevioribus, sterilibus: reliquis antheras incarnatas sustentibus.

Germen pubescens: stigmata rubra, reflexa.

Fructus: capsulæ quinque monospermæ, rufescentes, basi acutæ. Arista bipollicaris candidè et longè barbata.

Habitat ad Caput Bonæ Spei et in Æthiopia. ☉. ♂. Habui floridum a mense maio usque ad aug. Colitur in R. H. P.

Obs. *Species admodum varia laciniis nunc magis nunc minus angustis, corollis pentapetalis et tetrapetalis in eodem sæpe individuo. Si auctorum icones consulantur, vix duæ omnino similes reperientur: in herbariis mira varietas. Fere capillares vidi lacinias in exemplaribus nuperrime adportatis a D. Sonnerat è promontorio citato. An hujusmodi fragmenta ad G. myrrhifolium Linnei atque Burmani referenda sint, atque species diversæ conservandæ qualiter Linnaeus dixit? Hæreo, dicant ceteri: ego interea omnes, fortasse immerito, in unum conjungo, a quibus sequentem plantam separo, certissime diversam.*

391. GERANIUM BETONICUM. (Tab. CXVIII. f. 1.)

G. Caule herbaceo? Foliis subovatis, lobato-pinnatis, crenatis, obtusis; umbellis paucifloris.

G. Pedunculis multifloris, calycibus pentaphyllis, foliis lobato-pinnatis, crenatis, obtusis. *Burm. Ger. n^o. 57.*

G. Africanum folio betonicæ. *Rivin. pentap. t. 106.*

G. Africanum betonicæ folio laciniato et maculato, floribus incarnatis. *Herm. Lugd. 279. t. 281. Tournesf. inst. 269.*

G. Ribesii folio. *Petiver. Gazophyl. t. 84. f. 6?*

Caulis erectus, simplex, herbaceus? vix pedalis.

Folia longè petiolata; radicalia cordato-ovata, crenulata; caulina nunc opposita, nunc alterna, petiolis breviora, pinnato-lobata, crenata, obtusa. Stipulæ ovato-acuminatæ.

Florum pedunculi elongati, fere terminales : involucrum polyphyllum, foliolis acutis; radii fere quatuor, breves.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. V. S. apud D. Thouin.

Obs. Rivini atque Hermani tabulæ supra citatæ huic speciei conveniunt, minime vero GERANIIS CORIANDRIFOLIO et MYRRHIFOLIO; conferantur illorum tabulæ cum hac nostra.

392. GERANIUM FERULACEUM. (*Burm. Tab. CX. f. 2.*)

G. Foliis pinnatis, pinnulis lobatis, incis, revolutis: petalorum unico superiore erecto, reliquis quatuor dependentibus.

G. Calycibus monophyllis; foliis laciniatis, multifidis; radice tuberosa. *Burm. Ger. n.º. 72.*

Pelargonium foliis ferulaceis, multifidis, flore rubello. *Bur. afr. 93. t. 36. f. 1.* Ex pluribus capillaribus et nigricantibus fibris oritur caudex crassus, sesquipollicaris, nigricans, brachiatus.

Folia pinnata, pinnulis lobatis, incis, revolutis, subtus tomentosis, apicibus varie denticulatis. Stipulæ. . . .

Florum pedunculus communis ex summo caudice et inter folia, his longior, superne ramosus, atque folio instructus ad ramulorum ortum: ramuli singuli umbellas sustinent paucifloras. Radii tres vel quatuor breves.

Corolla pallide rubens pentapetala: ex petalis unicum dumtaxat superius erectum, latum; reliquis angustis, brevibus dependentibus.

Semina tenuia, oblonga, arista plumosa terminata.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. H. Ex Burmani opere laudato.

Obs. Pelargonium foliis ferulaceis crispis, floribus carneis, ejusdem auctoris p. 94. quamquam præcedenti simile, diversum reputo, quia flores sunt illi tetrapetali, et folia crispa: verumtamen, quum neutrum viderim, ne species immerito multiplicentur, Botanicis determinandum relinquo, qui utrumque poterunt examinare.

393. GERANIUM GIBBOSUM. *Lin. (Tab. CIII. f. 1.)*

G. Caule fruticoso carnosio, geniculis gibbosis: foliis pinnato-lobatis, glaucis; corollis luteo-viridibus.

G. Calycibus monophyllis; caule fruticoso; geniculis carnosio, gibbosis; foliis subpinnatis. *Lin. Sp. pl. n.º. 12. Burm. Ger. n.º. 50.*

G. Africanum noctu olens, tuberosum et nodosum, aquilegiæ foliis. *Herm. Lugd. 284. t. 285. Tournef. inst. 269.*

G. Folio aquilegiæ. *Rivin. pentap. irreg. tab. 100.*

Pelargonium foliis quinquefidis, profunde dissectis, et dentatis; radice crassa, bulbosa. *Burm. Afr. 96. t. 37. f. 2.*

Caulis fruticosus, ramis procumbentibus, sæpe tripedalis et amplius, articulatus, articulis gibbosis.

Folia nullo ordine, opposita scilicet, terna, simplicia, petiolata, pinnato-lobata, limbis conniventibus, glauca, glaberrima, dentato-crenata. Stipulæ latæ, marcescentes.

Florum pedunculus communis, oppositifolius, elongatus, erectus: involucrum polyphyllum, foliolis ovato-acutis: radii fere octo, pollicares.
 Calyx ovatus, villosus, profunde partitus in quinque lacinias ovatas, reflexas.
 Corolla papilionacea, subæqualis, petalis concavis, rotundatis, virido luteis; superioribus paulo latioribus. Fovea aut cuniculus ut in affinibus.
 Stamina urceolus albus in decem filamenta partitus, quorum tria breviora sterilia; reliqua antheras luteas sustinentia.
 Germen parvum, pentagonum: stylus tomentosus: stigmata lutescentia.
 Fructus ut in sequenti; arista paulo longior.
Habitat ad Caput Bonæ Spei. Habui floridum mense augusto. Colitur in R. H. P.

394. GERANIUM CARNOSUM. *Lin.* (Tab. XCIX. f. 1.)

G. Calycibus monophyllis; caule fruticoso, articulis carnosogibbosis; foliis (alternis) pinnatifidis, laciniatis; petalis linearibus. *Lin. Sp. pl. n.º. 11. Burm. Ger. n.º. 51.*

G. Africanum carnosum, petalis angustis, albicantibus. *Dill. hort. Elth. 153. t. 127. f. 154.*

Tota planta glaberrima.

Caulis fruticosus, humilis, ramosus: horum bases napiformes, carnosæ.

Folia alterna, petiolata, pinnatifida, sæpe revoluta, pinnulis latis, decurrentibus, dentato-crenatis. Stipulæ breves, subovatae.

Florum pedunculus communis, oppositifolius, erectus, elongatus. Involucrum 5, 6-fidum, foliis ovatis. Radii quinque, semipollicares.

Calyx ovatus coloratus, laciniis revolutis, superiore latiore erecta.

Corolla papilionacea alba, petalis linearibus, carinatis, subæqualibus, patentissimis. Fovea more affinium.

Stamina urceolus albus, decempartitus, filamentis quinque brevioribus castratis, reliquis antheras totidem rubras, ovatas, sustinentibus.

Germen minimum, pentagonum: stylus basi villosus, dehin incarnatus: stigmata revoluta.


Fructus: capsulæ quinque monospermæ, tomento rufescentes: arista pollicaris parce barbata.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei, et in Æthiopia. H. Habui floridum mensibus julio, augusto, septembri. Colitur in R. H. P.



A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.














A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.











1

2

a





A. J. Cavanilles del.


Sellier. sculp.




A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.











A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.







1

2





1

2





1

2















































1

2













































1

2






A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.










A. J. Cavanilles del.

Selher sculp.

















A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.





A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.





A. J. Canavillet del.

Sottier sculp.







A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.



1

2

THE GREAT OCEANIC





